



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Theophili Raynavdi, Ex Soc. Iesv. Erotemata De
Malis Ac Bonis Libris, Deque Ivsta Avt Inivsta, eorumdem
confixione**

Raynaud, Théophile

Lvgdvni, 1653

Partitio III. De configendi potestate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11141

Concilij IV. Carthag. quo Episcopis lectio librorum Gentilium planè interdicitur; quia scilicet eis necessaria non erat ad suorum salutem huiusmodi lectio. At facultas legendorum librorum hæreticorum, iisdem conceditur pro necessitate tantum, ac tempore.

Sic munitum Lectorem, hoc est, & eruditione sufficienti, & probis moribus instructum, nec ingenio instabili, & ad nouitates pruriente præditum, maxime autem necessitate aliqua ad legendos libros hæreticorum adactum, Alphonsus de Castro *cap. illo 17.* non immeritò adumbratum censet per Phinees, qui ingressus turpitudinis locum, non ad scortandum, sed ad confodiendos scortatores, magnificè à Deo laudatus, & insigni remuneratione donatus est. Similiter enim, qui præuia superiorum concessione, in volutabrum libri hæretici, aliterve iure vetiti, demittit sese, non ad libidinandum animo, (vt sic dicam,) id est, non ad pascendam curiositatem, captandamve indebitam delectationem, sed vt ex officio, vel charitate, & benè ordinato fidei zelo, pugnet aduersus eos, qui animas Christi sanguine ablutas in lutum facis, & hæreticas aliàsve quascumque spurcicias reuoluunt; tantum abest, vt inquinetur, vt potius nitescat magis, & ex cæno educat alios. Et hoc consilio, lectos à se hæreticorum libros, testatur S. Irenæus *lib. 1. in præfatione operis.* S. Cyrillus Hierosol. *catech. 6.* idem, & ex eadem causa à se factum testatur, quoad libros Manichæorum. Ad stipulatur Sanctus Hieronymus *epist. 152. ferè in fine,* & optimè Dionysius Alexandrinus supra adductus, apud Eusebium *lib. 7. hist. c. 6.* Ex recentioribus idem latè prosequitur Pamelius ad librum Nouatiani *de Trinitate, cap. 58.*

456.



PARTITIO III.

De configendi potestate.

DISTINCTIONE hîc opus est. Alia enim est confixio *in iudica*, 457. quæ scilicet fit ab homine, publica ad id suffulto authoritate; alia verò *doctrinalis*, quæ fit ab homine non quidem à legitimo superiore ad munus configendi delecto, sed tamen erudito atque capaci. Vtriusque confixionis, & facultatis ad eam inuentandam, meminit Gerso *tractatu de examinat. doctrinarum, parte 1. opusculi*, in prioribus considerationibus. Quia huius duplicis ad configendum potestatis diuersa ratio est, agemus de vtraque sigillatim, atque seorsim.

EROTEMA I.

Penes quem sit librorum configendorum ius priuatum, meréque doctrinale.

EIus confixionis, quam quispiam fert solo doctrinæ titulo munitus, facultas est penes quemuis virum doctum, prudentem, atque confideratum.

Merè doctrinale de libro iudicium, est penes quemcumque eruditum.

458.

Huius pronuntiati ratio, perspicua est. Cuius enim viro erudito, etiam si priuato, id ipsum circa doctrinam, atque aded etiam circa libros conceditur, quod unicuique in sua arte perito; vt scilicet seruatis prudentiæ regulis, quæ non omnia vera vbiuis efferri concedunt, de alieno opere pronuntiare possit, & librum, qui malus, vel noxius est, possit configere ad aliorum instructionem, ne circumueniantur, inducanturque in errorem. Nec rarò id ipsum extorquet autoris petitio. Authores enim humiles, ac digni, quorum opera lucem videant, quantumuis eruditi, & graues, aliena de suis operibus iudicia lubentes efflagitant: & cum aliquid mutandum, defendumve audiunt, ab eo cuius exquisierint sententiam, non grauati acquiescunt; si ratio qua censor adducitur, non sit leuis, sed ita faciendum, videatur ferre. Hac ratione Iulianus Imperator *epist.* 16. Maximum Ephesium librorum suorum censorem dixit. Plinius iunior *lib.* 2. *epist.* 8. & aliis locis quæ ibi signat Claudius Minos, censes scriptionum suarum, quam accuratos, exposcit.

Ex nostris S. Eulogius, memoriale Sanctorum, & documentum Martyrij, ad SS. Virgines Floram, & Mariam, subiecit Aluari censuræ, vt ex eius epistolis docemur. Boëtius Symmachum socerum suum, virum doctissimum, arbitrum scriptorum suorum dixit, transmittens ad eum è carcere librum *de Trinitate*. B. Petrus Damiani *lib.* 4. *epistol.* 11. Theodosium Senogallensem, & Rodolphum Eugubinum Episcopos, operum suorum censes efflagitat magna humilitate, & addit; [Quid enim mirum si ego imperitus, & animalis homo, dictatiunculis meis sanctos viros adhibeam iudices, quandoquidem Lucas, & Marcus in Euangeliis, quæ Spiritu sancto dictante descripserant, Petrum, & Paulum Apostolos habuere censes?] Alibi, sua scripta corrigenda exhibuit Gebizo, Theobaldo, & Ioanni Abbatibus. Est *epist.* 10. *libri sexti*. Eusebius Cæsar. libros tres posteriores contra Marcellum Ancyranum Flacillo Episcopo recognoscendos transmittit. S. item Basilius *epistola* 167. rogatus à Theodoro Tharsensi, de eius scriptis pronunciauit. Eam quippe epistolam, ad Diodorum postea Tharsensem Episcopum, tunc Presbyterum Antiochenum directam esse, docet Facundus Hermian. *lib.* 4. *pro tribus Capitulis cap.* 2. Ea epistola

epistola S. Basilius, liberè, & citra adulationem promit sententiam, [vt de-
claretur, (inquit,) quàm non in adulatoris manum, labores tuos miseris, sed fra-
tri germanissimo communicaueris.

B. Aëlredus Rhieuallensis emissurus plenam editionem expositionis suæ
de oneribus Isaïæ ad homilias triginta diffusam, præmisit eius recognitionem
G. Episcopo Lundeniensi, viro doctissimo & acris in censendo iudicij; de qui-
bus eius dotibus multa prælocutus Aëlredus, subdit. [Hinc est Pater amantissi-
me, quod studium meum, si quod est in literis sacris, ad tuæ discretionis exa-
men credidi referendum, vt vbi sanum sapio, tua me confirmet autoritas: vbi
hæsito, te docente mihi luceat veritas, vbi erro, corrigat me tua sancta seue-
ritas, &c. Igitur cum triginta homilias stylo tradidissem, ne fortè in vacuum
currerem, aut cucurrissem, suspendi calamum, donec de vultu tuo, eorum quæ
scripsi, prodiret iudicium, viderentque oculi tui, eorum omnium rationem,
suæque discretionis arbitrio, omnia quæ scripta sunt, vel delerentur, vel corri-
gerentur, vel probarentur.] Excusans postmodum libertatem interpellandi
tantum Antistitem pro re tantula, concludit. [Licet igitur magnum sit sapienti,
vel modicum tempus, otio dare, non pigeat, rogo dominum meum, tantillum
tempus perdere, quo ex his quæ scripsimus, vel refecare superflua, vel supplere
hiantia, vel vniuersa delere possitis.]

Sed quod illustre huius rei veluti paradigma proposuerit præter cæteros
Sanctus Ambrosius inter Latinos doctores micantissimus, cum labores suos
Sabino Laudensi Præsuli recognoscendos mitteret, vt apud eum legere est *ep. 40.*
illam ex parte hinc attexendam existimo, vt sit veluti exemplar, ad quod ad-
metiri liceat, & candidum pectus æqui censotis, & æquam scriptoris, de cu-
ius libro fertur censura, voluntatem, quæ palpari se nolit. [Remisisti, (inquit,)
mihi libellos, quos tuo iudicio probatiores habeo. Ideò nisi alios non iudicij
faure delectatus, sed promissa à te, & petita à me veritate illectus. Malo enim
tuo corrigatur iudicio si quid mouet prisquam foras prodeat, vnde iam reuo-
candi nulla facultas sit, quàm laudari à te, quod ab aliis reprehendatur. Ita-
que arbitrum te eorum quæ postulas rogavi. Neque enim legi ante mea, quæ
nonnunquam tribuo in vulgus, sed in tuæ calculum venire sententiæ deside-
raui. Non erit longi subsellij ista iudicatio, & mora. Vt dictum est antiquitus,
facile est tibi de nostris iudicare. Ego certè huc inuitatu tuo prodeundum
putaui: tuum est liquidò decernere, & scrutanter discutere quæ corrigas, ne
sibi vitio vertant ea quæ nobis potuerunt obrepere; nescio quo enim modo
præter imprudentiæ caliginem, quæ me circumfundit, vnumquemque fallunt
sua scripta, & aurem prætereunt, atque filij etiam deformes delectant: sic etiam
scriptorem indecores sermones sui palpant. Incautiùs plerumque aliquid pro-
mitur, aliquid accipitur maleuolentiùs, aliquid erit ambiguum: tum, quia alie-
no examinandi iudicio non pro nostra debemus magis, quàm pro aliena opi-
nionem trutinare, & discutere omnes scrupulos maleuolentiæ. Assume igitur
animo beneuolo aurem versutiæ, & pertracta omnia; sermones vellica, si in iis
non forenses blanditiæ, & suasoria verba, sed fidei sinceritas est, & confessionis
sobrietas. Notam appone ad verbum dubij ponderis, & fallacis stateræ, ne
quid pro se aduersarius interpretetur; esto vt reuincatur si congregi cœperint,
malè se habet liber, qui sine assertore non defèditur. Ipse igitur pro se loquatur,

L 1 2 qui

qui procedit sine interprete. Noster hic tamen non egreditur à nobis nisi à te acceperit auctoritatem. Itaque cum eum fide tua prodire iusseris, committetur tibi.]

460. Hæc igitur esse debet scriptoris æquitas animi, erga doctum censores, & syncerum, quantumvis in exhibita descriptione non pareat confixioni, aut etiam succissioni, si res ferat. Barbarum verò, ac tyrannicum Dionysij Siculi factum æmulari, eius duntaxat esset, qui hominem referret moribus, & eadem flagrare vellet infamia. Tragœdiam scripserat Dionysius ridiculosissimam. Eam cum recognoscendam dedisset Philoxeno; isque autori non esset adularus, in lapidicinam coniectus est. Refert Lucianus *dialog. aduersus indoctum congestorem librorum*. Censoris igitur eruditi, vltro facta, aut multo magis ab authore expectata censura, libenter excipitur. Erítque hæc confixio commensa auctoritati censoris, itavt tantum ab ea immineat libro periculi, aut dedecoris, quantum est pondus auctoritatis eius, qui confixit, & vel plurimum, vel nihil officiat, prout magna, vel nulla fuerit censoris priuati fama, & doctrina quam parauerit.

Discussus Gerſo circa censura priuata auctoritatem.

461. Absit potro, vt cuiusquam eruditioni tantum tribuamus, vt quod Gerſo supra allegatus *consider. s.* affirmat, possit contingere euentus, in quo plus sit credendum assertioni viri docti, quàm declarationi Summi Pontificis. Eam euentum assignat Gerſo, si contingeret Papam vltro errare quoad veritatem aliquam, quàm vir ille eruditus doceret contineri in Euangelio. Et idem asserit euenturum, si Papa ignoraret eam veritatem contineri in Euangelio, cui (vt Gerſo constare ait,) plusquàm Papæ credendum est. Has Gerſonis suppositiones quoad Papæ voluntarium errorem circa veritatem Catholicam, vel eius ignorantiam, admittere nullo modo possumus. Impossibile quippe est, Pontificem, qui Pontificatu non excidat, vltro errare circa veritatem aliquam in Euangelio contentam, aut eius veritatis contrarium per ignorantiam docere. Sic enim portæ inferi, id est, errores, (vt Sanctus Hieronymus interpretatur,) præualerent aduersus Ecclesiam, quæ Capiti suo adhærere tenetur. Vnde declaratio Euangelij, quæ à Pontifice ex Cathedra peragitur, censenda est germana. Quod ita ratum habuit S. Augustinus, vt negauerit se Euangelio assensurum, nisi Catholicæ Ecclesiæ, cuius Caput est Summus Pontifex, auctoritas accederet. Sanè diuinæ erga Ecclesiam suam prouidentia esset, non sinere, vt Pontifex nemine ante promulgationem obistente, ac errorem dedocente, aliquid per ignorantiam, vel obliuionem traderet, quod esset contra Euangelium, aut contra anteriorem aliquam fidei definitionem: alioqui non esset sufficienter prouisum Ecclesiæ: possemus enim semper subdubitare, an quod à Pontifice credendum proponitur, falsum esset; & an contrarium sit de fide; tametsi Pontifex id proponat per ignorantiam, vel obliuionem.

462. Pertinet ergo ad prouidentiam Dei, priusquam promulgatio debita fiat, & Ecclesia teneatur propositioni falsæ assenti, curare depulsionem erroris, aut ignorantia à proponente, per fidelé suggestionem hominis eruditi; quæ si nõ interueniat ante propositionem factã, signũ euides est, nec obliuionem, nec ignorantiam interuenisse

nisse in proponente; ac proinde standum esse propositioni eius. Si autem proponeretur s. vellet ex malitia falsam fidei doctrinam proponere, & deductus errorem, aut soluta ignorantia, perstaret nihilominus in voluntate proponendi errorem exploratum, & pugnantem cum Euangelio, vel alia perspicua anteriori definitione Ecclesiæ; sic Pontifex Pontificatu excideret, reddereturque dignus, qui eo spoliaretur à Christo; interuentu sententiæ humanæ declaratoriæ, ut dicitur 2. 2. ac proinde tunc posset locum habere prælatio interpretationis viri eruditi, præ interpretatione talis Pontificis de pontani. Quamdiu autem Pontifex, dignus perstat successione S. Petri, & Vicariatu Christi, nihil tale dici potest. Ideoque, absolute, & simpliciter loquendo, nulla privati cuiuscumque, quantumvis eruditi, interpretatio rerum fidei, vel confixio falsi dogmatis, aut libri illud continentis, cum Pontificia interpretatione, aut confixione potest conferri.

*Concluditur, censuram priuatam viro cuius docto competere,
ablegatis indoctis.*

Viro itaque docto, & naris emunctæ, fas esto, ad eum modum sobriè ac prudenter de alienis operibus pronunciare. Eiusmodi suo tempore fuit Longinus, de quo sic Eunapius in Porphyrio. [Ea tempestate erat Longinus spirans quadam Bibliotheca, ac viuum musæum, cui de veteribus iudicandi potestas permisa erat: quo munere ante illum, ut alij non pauci, ita & Dionysius è Caria, cunctis illustrior perfunctus fuerat.] Et mox. [Quod si quis vetustum auctorem aliquem reprehendisset, non prius rata, atque firma habebatur opinio, quam Longini illam confitueretur iudicium.] Id abs se circa Tichonium, & Origenem præstitum, notando in bonis dictis *Chresimon*, in prauis *achresion*, (corrupta lectio habet, *ac hereseon*,) notat Cassiodorus *lib. diuin. instit.* Nec potest quispiam huiusmodi iudicium defugere. Quo non malè transtulerim illud, alia licet ex causa, à Symmacho dictum ad Ausonium *lib. 1. epist. 31.* [Cum semel à te carmen profectum est, ius omne perdidisti. Oratio publicata, res libera est.]

463.

Semper me restrinxi ad virum doctum, quia indoctum hominem de libro alieno velle censuram ferre, res est indignissima. Audi S. Basilium *epist. 75.* [Probetur natura sui condemnatum esse scriptum, quod obicitur magis, quam quod ex ignorantia accusationis culpandum esse videatur. Sunt namque multa bona, quæ non exacto mentis iudicio præditis, talia non apparent. Neque enim, quæ sunt eiusdem ponderis, paria esse videntur, nisi æquilibres sint inter se lances. Iam mel, malè morbo quopiam affectis, apparet gustu amaricatus per corruptelam organi. Quin & oculus vitiatas, multa non videt eorum, quæ sunt, & multa suspicatur, quæ non sunt. Idem & in iudicanda sermonum virtute sæpenumero fieri video, quando eorum qui conscripserunt mentem, habitumve non assequitur iudex; oportet enim ut eadem propè sint animi industria præditi, & qui aliorum scripta iudicaturus est, & qui illa conscripsit. An cum de agriculturæ operibus iudicare non poterit, qui non ipse est agricola, & qui musices scientiam non tenet, nec consonantiam, nec dissonantiam in musicis tythmis cognoscat; sermonum iudex mox erit, quicumque volet? Qui

464.

Ll 3

neque

neque præceptorem suum, neque tempus in quo didicerit, assignare valet, nec profus quicquam eorum, quæ ad sermones iudicandos attinent, siue multum, siue parum intelligit? Ego verò noui quòd quæ in Oraculis Spiritus dicuntur, haud cuius liceat proprio subiicere examini; sed ei, qui spiritum habet discretionis, quemadmodum nos Apostolus in diuisionibus charismatum docuit, dicens: *Huic namque per Spiritum datur sermo sapientia, alij sermo scientia secundum eundem spiritum; alij fides in eodem spiritu, alij operationes virtutum, alij prophetia, alij discretionis spirituum.* Itaque si nostra spiritalia sunt, ostendat se donum habere discernendorum spiritalium, qui nostra iudicare præsumit. Si verò quemadmodum ipse conuiciatur, ex sapientia sunt mundi huius, declaret se mundanæ sapientiæ experientiam habere; & tum demum ipsi iudicandi calculos permittemus.]

Inter indoctos porrò, Gerso *tomo 1. tract. de examinatione doct. part. 2. considerat. 2.* merito numerat eos, qui in vno quidem genere periti sunt, non item in alio, de quo tamen interdum audent iudicare. Sic Galenum à Rabbi Mose Medico derisum refert, quòd vltra crepidam sutor porrexisset manum: sic passim plerosque, dum se vident prærogatiua alicuius disciplinæ, inter suos fulgere, exerrare, dilatato ad alia iudicio, aduertit.

E R O T E M A I I.

Cuius sit librorum confixio pro potestate.

465. **N**unc de alia confixione disputamus, quæ fit pro potestate, & vel circa libros de fide, aut religione tractantes exercitur, vel circa alios. Ordior à priore librorum genere.

D O C T R I N A G E R S O N I S , de sede publici in libros iudicij.

Gerso *tomo 1. tract. de examinatione doctrinarum 1. part. illius opusculi, consider. 1. 2. & 3.* agens de examinatione, cui adiungatur determinatio, vel declaratio, aut interpretatio cum appositione pœnarum in rebelles, atque aded, quæ confixionem habeat adiunctam, vel subiunctam, appellat examinationem illam quandoque *authenticam*, quandoque *irudicam*, quandoque *authoritatiuam*, eiusque potestatem si doctrina examinanda spectet ad fidem, collocat finaliter in sua viua regula fidei, hoc est, in in Concilio Ocumenico. In Papa autem eam potestatem irudicam examinandi res fidei, & damnandi opposita, statuit sub Concilio, vel cum ipso. Estque manifestum, quod de examine, ac confixione puncti cuiuspiam doctrinalis à Gersone asseritur, æquè de libri examinatione, aut confixione valere. Sic igitur ille philosophatur de finali, aut suprema discussione, aut confixione per Concilium, aut Pontificem.

466. Cuiuslibet autem Episcopo, intra fines suæ Diœcesis id concedit præsupposita discussione matura; & dummodò non confingat nisi puncta palàm, & omnium

omnium iudicio, hæreticalia, vel puncta simpliciter quidem dubia, sed peritis, & sapientibus manifesta. Quoad hæc enim Gerſo *conſider. illa 3.* potestatem agnoſcit in Prælatiſ inferioribus, ſive Episcopis, condendi articulum fidei, ab iis tenendum, quos habent iurisdictioni ſuæ ſubiectos, negatque verum eſſe, quod dixiſſe alios refert, nullum præter Papam condere poſſe articulum. Ea verò puncta, quæ non ſunt aperte, (ſaltem apud ſapientes,) hæreticalia, ſed, (vt ait,) [ſunt veluti neutra, habentque pro ſe Doctores, cum rationibus ad utramque partem probabilibus, nec in vna tantum Diœceſi, vel paucis, ſed apud omnes Chriſtianos, aut longè plurimos] locum habent; negat Gerſo poſſe ab Episcopis, decidi, vel ſi eis non ſapiant, poſſe ab eis configi. Has enim putat eſſe maiores cauſas, quas capitiſ Eccleſiæ examini, ac ſi res ferat, confixioni iura referuant. Et huius diſtinctionis ignorantia, aut diſſimulatione, non paucos ea tempeſtate in iudicia ſcandalofa, errorèſque prorupiſſe, expoſtulat.

Addit Gerſo *ibidem conſider. 4.* eiſdem [examinationis artificem partim authenticum, partim doctrinalem, eſſe quemuis in Theologica facultate Licentiatum, aut Doctorem; quod non aliter probat, quàm ex hac forma verborum, qua à Cancellario conceditur licentia magiſtralis, [*Ego Apoſtolica auctoritate, do tibi licentiam legendi, regendi, diſputandi, docendi, in ſacra Theologia facultate, hic, & ubique terrarum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.*] [Ex qua forma colligit Gerſo, quemuis Doctorem, aut Licentiatum, habere à Sede Apoſtolica facultatem exercendi ubiuis, actus præmiſſos, atque aded etiam libros configendi, ſi noxi] ſunt: tamenſi facultas illa ad actus prædictos ſubordinetur immediatiſ præſulibus, & ab eis ex cauſa idonea impediri poſſit. Sicut quamuis omnes Sacerdotes ſint æquè Sacerdotes quoad potestatem in corpus Chriſti reale; quoad myſticum tamen corpus, diuerſimodè ſe habent, prout iurisdictionem accipiunt ab Ordinariis.

467.

Excuitur quoad potestatem Episcopis assignatam.

In his Gerſonis dictis dimittenda ſunt hoc loco, quæ habet de finali, & irretractabili, ſolius Cœcilij generalis, non item Summi Pontificis, definitione; hæc enim alibi ſunt excutienda, cum ratio ſupremi capitiſ Eccleſiæ, & potestas infallibiliter, ac irretractabiliter ſtatuendi de rebus fidei, ſoli Pontifici aſſeritur 2. 2. q. 10. Quod verò attinet ad illam potestatem, quam Gerſo agnoſcit in Episcopis reſpectu ſuæ Diœceſis, vt poſſint de rebus ſaltem inter doctos apertis, ac perſpicuis, condere articulos fidei, potest circa eam eſſe liſ de nomine. Nam ſi ſenſus ſit, Episcopum poſſe eudere infallibilem fidei definitionem in prædictis materiis; atque aded ſi ſenſus ſit, Episcopo configente librum, ratione puncti alicuius, quem damnet hæreſeos, confixionem illam eſſe ex fide certam, reiiciendum eſt, quod Gerſo dicitur, quia cauſa fidei, & hæreſeos, cum ſit toti Eccleſiæ communis, eo quòd vna in quacumque Eccleſia debeat eſſe fides, non potest per vnius particularis Eccleſiæ, caput decidi, vt rectè argumentatur Caſtro *lib. 3. contra hæreſ. cap. 8.* Tum, quia nulli Episcopo infra Romanum Pontificem, competit potestas iudicandi infallibiliter de fide, aut configendi, quæ ſunt falſa, & fidei aduerſantia; quia de nullo alio ſingulari Episcopo valet, quod de Romano in Petri perſona dictum eſt, *Rogani pro re*
Petre,

468.

Petre, ut non deficiat fides tua. Et, pascere oues meas, quod pabulum maximè præbetur per suppeditationem, ac propositionem doctrinæ sacræ, & reiectionem corruptæ. Valebit autem, quod à Gersone de inferioribus Episcopis dicitur, si sensus sit, eos habere potestatem proponendi suis subditis, quæ ab Ecclesiæ capite fuerint definita tanquam de fide; eosque in conscientia obligandi, ut eis credant tanquam definitis per Ecclesiæ caput, cuius est eas definitiones eudere: ea quippè potestas in munere pastorum includitur, idque apertè tradit S. Bernard. *epist. 39. sub medium*. Et quamuis Parochis quoque proportionalis gradui suo ad id potestas competat, tamen multo magis in Episcopo micat, cuius in pascenda plebe potestas, & eminentior est, & maior. Quod multo magis dicendum est de quocumque Euangelij præcone, definitione fidei rectè factam renunciantem absque vlla ad id potestate, ex solo zelo diuini honoris, & fidei propagandæ. Hic enim & subtus Episcopum, & subtus Parochum, qui Pastores sunt, statui debet quoad præsens negotium.

469.

Præter propositam facultatem, agnoscenda quoque est in Episcopis inferioribus facultas obligandi suos, ne assensum præbeant doctrinæ periculosa: eo quòd tamen nedum damnata sit ab Ecclesia, tamen Episcopo videatur eam doctrinam non coherere cum definitionibus iam cufis, aut accedere ad errores damnatos. Hoc planè videtur necessarium Episcopo, ut munus pascendarum Christi ouium ritè exequatur: & quamuis Episcopus in huiusmodi propositione possit falli, quippè qui privilegio infallibilitatis non gaudeat; tamen prudenter plebs constituti sibi ab Ecclesia immediati Pastoris vocem audiet, nec peccabit ductum eius sequendo. Tandémque diuina prouidentia per mediatos, ac præsertim per supremum Pastorem, aut quibus lubebit viis, dedocet errorem, & bonam plebis mentem, eiusque obedientiam erroris depulsione compensabit: facièrque ne fraudi sit materialis aberratio, ex Spiritu humilitatis, & voluntate constitutos sibi duces sequendi, profecta.

Expenditur facultas publica configendi doctrinam, concessa à Gersone cuiuscumque Doctori singulari.

470.

Iam quod ad Licentiatos, vel Doctores Theologos attinet, perperam Gerfo, nescio quam in eis ex parte authoritatiuam, vel authenticam noxia improbandi potestatem agnoscit. Hoc enim est muneris Pastorum, quorum est pabulum doctrinæ sacræ ouibus suis porrigere, & vitulenta pasqua remouere. At Doctores, & Licentiatos præcisè quæ tales, non sunt Pastores. Habent quidem Licentiatos, atque Doctores, si sint, quod dicuntur, nec eminentios titulos præferant; agnitiuis iam Doctorum, penè vulgus æquantibus, ut Franciscus Petrarcha scitè dixit *lib. 1. de remed. c. 46.* & quòd *c. 12.* præmiserat, ceu pecudum greges in quacunque vrbe abundantibus; habent, inquam, veri Doctores idoneitatem, & aptitudinem, ut à Pastoribus assumantur ad discussionem punctorum ambiguum, sineque Præfulum quasi consulti: quod ad summum fert formula creandi Doctorem antè prolata, continens idoneitatis illius testimonium authenticum, ab iis latum, quos ad ferendum præfecerunt ij, quibus in Repub. potestas competit. Et ita habet ipse Gerfo *lib. 3. de consolatione Theologia, prosa 3.* & benè Caiet. *in summa v. Doctor.* Iuridica tamen, & facta cum potestate propositio dogmatum sanorum, vel confixio reprobatorum, nulla ex

parte

parte est Doctorum, vel Licentiorum. Possis enim cuilibet tale aliquid sibi assumpti, opponere illud Hieronymi ad Domnionem; [Ut de omnibus iudicer, cuius hoc iudicio meruit?]

Non igitur hoc possunt Doctores, vel Licentiat, sed ea tantum facultate discutiendi, & configendi potiuntur, quam Gerfo *suprà* vocat *per modum doctrinae*, & æquè cuius viro docto competit, tametsi non Doctori. Imò plerumque multo magis homini nulla laurea decorato suppetit ea facultas, atque etiam illa quam dixi ad deseruendum Pastoribus idoneitas. Verè enim, ac rectè, laudatus proximè Petrarcha in hanc rem dixit, [Sæpè nullum bonis, clarum malis mercibus signum fuit.] Consulatur qui de indignitate multorum ad hos gradus per vias indebitas erepentium, & huiusmodi titulos emercantium, grauiissimè conqueritur Aluarus Pelagius *lib. 2. de planctu Ecclesie art. 43.* & Ioannes Viualdus *in opere Regali tract. de 12. persecutionibus Ecclesie*, quarum decimam esse ait, ab indignis Doctoratu potentibus. Videndus insuper Ludovicus Viues *lib. 1. de causa corruptionis artium, sub finem.*

Extenditur resolutio ad cæterum Doctorum vnius Academiae.

Quòd si Doctori cuius singulari aliud non competit vi Doctoratus, quàm quod diximus, debet quoque liquere, non plus etiam toti Doctorum collegio, etiam si numerosissimo, posse tribui: quod rectè statuit Alphonsus de Castro *lib. 1. contra hæreses cap. 8.* numerus enim auctior similibus personarum, nihil plus intensiuè confert, quàm si vnica esset persona. Vnde Caietanus *opusculo de Concept. B. Virginis*, Academiae decisiones, & determinationes nauci facit; & quamuis per modum declarationum admitti vtrumque possint, quod vnum euincit Catharinus *lib. 2. pro Concept. §. primò quòd sic, pag. 49.* non tamen vt determinationes, non plus quam si vnicus esset Doctor. Quamuis autem multitudo ex vna parte conferre possit ad faciùs, & certius attingendam veritatem, eo quòd plura ingenia exulta concurrant: tamen non semper verum est, multitudinem eorum, qui Doctores dicuntur, esse multitudinem eruditorum, & ingeniosorum; imò, vt Themistius *orat. 1. de æuo suo* exoptulat, asinus sæpè Æsopicus, quamuis asinus, leonis pelle indutus prodit; atque adèd si daretur cæcus talium, non esset cæcus leonum, nisi externa specie. De Doctoribus antiquitate & celebritate palmam ferentibus, verè à Ioanne Maiore, qui & ipse Doctor inter eos vnus erat, scriptum est. [Non omnis Magister est doctus.] Ipsèque Gerfo, inter causas cur dimittere munus Cancellarij Academiae celeberrimæ vellet, *tract. de eo argumento*, qui p. 2. habetur, eam non omisit, quod pro abusu inolito, cogeret [Ignaros scientia, & perniciosos moribus, promouere; & quandoque sufficientioribus præponere.]

Præterea multitudo numerosior, eo facilius est, vt in factiones scindatur; & vt de dogmatibus, aut libris, in quibus traduntur, non ex iudicio, sed ex affectu, aut ad gratiam per nundinaria capita pronuncietur. Quod quàm sit frequens in huiusmodi cæetibus, nihil attinet demonstrare copiosè. Inde certè non rarè contingit vt libri, ac sententiæ Doctorum orthodoxissimorum, iudicio publico alicuius Academiae configerentur. Nemo in re litteraria adèd hospes est, vt ignoret, quàm in pretio sit apud omnes æquos æstimatores doctrina D. Thomæ.

Commendarunt illam nonnulli Summi Pontifices, vt Ioannes XXII. & Urbanus V. & Pius V. quorum dicta, vel rescripta, collegit Seraphinus in *prolusione ad Summam S. Thomæ à se editam*. Non potuit tamen vir Sanctissimus, & Doctorum Aquila, inuidorum morsus, aut rabiem defugere, editis aduersus eius scripta, atque doctrinam, tanquam erroneam, non sine adiuncta excommunicatione per Parisiensem Episcopum, ab Academia in fraudem actam, variis articulis, quos Ægidius Romanus, qui aderat, referente Capreolo in 2. q. 1. ad 1. *Gregorij*, damnatos refert *factiosè* [*non conuocatis omnibus Doctoribus, ad requestam quorundam Capitoforum.*] Vt mirum non sit de articulis sic confectis, à Godofredo *quodl. 8. quest. 5.* sic statui. [*Indigent magna correctione, quia nonnulli sunt falsi, nonnulli sibi adinuicem contradicunt, nonnulli derogant veræ doctrinæ,*] laborat non parùm Maior in 2. *dist. 2. quest. 8. ad 3.* vt hanc articulorum confixionem eleuet. Sed re vera proficit nihil, nec eorum reuocationem à Stephano Parisiensi Episcopo factam anno 1239. quam Capreolus memorauerat, sibi opponere ausus est. Æstum factionum in huiusmodi corporibus tantum potuisse, & monstrosas confixiones præualeate non potiore parte, sed numero, procudisse, nec angustam portam magnis malis aperuisse, indoluere non semel viri cordati. Itaque minùs mirum est, euulsiuè iam olim plerasque ad eum modum editas confixiones. Id quod docent proverbia relata apud Alphonsum de Castro *lib. 3. contra heres. cap. 8.* & apud Maiorem proximè citatum.

Neque has Eminentissimorum Doctorum, vt Sancti Thomæ, ac similium, confixiones ex eorum obtorsione, & peruersa scriptorum ab eis editorum interuersione, mirabitur, qui genium humanum non dediderit. [*Impossibile enim est, cum homines sint, qui in Ecclesia docent, vt calumniantium vituperationes effugiant. Et quid de Ecclesiæ Doctoribus dicimus? Quoniam, & ipsa sancta Euangelia multi hæreticorum ad suam recipiunt voluntatem, diuina dicta vertentes, & in multas partes corpus Ecclesiæ discindentes.*] Verba sunt Synodi Orientalis ad Theodosium Imperatorem relata à Facundo *lib. 8. pro tribus capit. c. 3.*

Idem statuitur de omnibus Orbis vniuersi Doctoribus.

473. Minùs mirum videri debet, negari à nobis cuiuscumque Academiae, facultatem ir retractabilem configendi pro potestate dogma quodpiam, vel librum, quo illud tradatur, cum ne omnibus quidem vniuersi Orbis Doctoribus, (& *Doctores* sumo, non pro *dônatis* laurea, qui sæpè sunt non doctissimi, sed pro verè doctis, ac præstanti eruditione viris:) si consentirent, & in vnam sententiam conspirarent, potestas supererat aliquid de fide statuendi, aut tanquam fidei contrarium configendi pro potestate, & secluso regulæ fidei præiudicio. Imò neque præbendi argumentum sufficiens, ac certum, quod propositio ab eis confixa, tanquam hæretica, (*sistendo in eorum confixione, nec attendendo præiudicium Ecclesiæ, quo ea confixio nitatur,*) sit re vera hæretica. Non melaret, Melchiorum Canum *lib. 8. de locis c. 4. conclus. 3.* & *lib. 12. c. 7. propositione 8.* & Dominicum Bannem *1. p. q. 1. art. 8. dub. ultimo conclus. 3.* censuisse, communem Doctorum Scholasticorum sententiam continere irrefragabile argumentum, adedò

adèdò vr oppositum tòm communi sensu firmatà sententià, aduersetur fidei. Sed hoc meritò repellunt alij, & benè Gillius *lib. 1. tract. 7. c. 13. n. 6.* quia certitudo infallibilis, qualis ad statuendum pro potestate de re fidei exigitur, niti debet promissione aliqua diuina, præstandæ assistentiæ, aberratione prohibentis. At illam diuinæ assistentiæ syngtapham, pro Doctoribus vniuersis, nusquam reperimus. Esto doctrina omnibus planè Doctoribus repugnans, temeritatis iure infimuletur. Quantumuis igitur omnes in vnum placitum conuenirent, & contrarium configerent tanquam fidei aduersans, si aliunde non stabiliatur confixio, nequaquam certa erit, & cui obistere absque hæreseos nota non liceat.

Iura suprema Romani Pontificis in librorum doctrinam fidei continentium, comprobatione, aut confixione.

Fixum igitur esto, quoties liber de quo configendo agitur, res fidei tradit, eoque nomine configendus venit, quòd fidei aduersetur, nullius esse irtractabilem confixionem facere, præterquam totius Ecclesiæ Capitis, cuius principaliter est, Christi oues pascere, idoneo, & non virulento pabulo doctrinæ, & separare pretiosum à vili: vt propterea non abs re olim, qui libros confcriptos vulgaturi erant, (id quod Baronius multis exemplis illustrat *anno 496.*) omni studio anniterentur, vt recognoscerentur, ac probarentur à Romano Pontifice. Quos autem libros ille confixisset, haberent pro noxiis, & omninò improbandis. Videmus ita fecisse Sanctum Augustinum *in exordio libri primi contra duas epistolas Pelagianorum.* Nam Bonifacio Papæ tanquam præ eminenti fastigio specula pastoralis, examinandum, & emendandum ditigit opus illud. Constat idem fecisse Sanctum Eulogium Patriarcham Alexandrinum, vt legere licet apud Sanctum Gregorium *lib. 8. Registri epist. 42.* Exemplo sui & ratione optima, ita esse faciendum autoribus, confirmat Sanctus Anselmus *lib. de Incarnatione Verbi cap. 1.* verbis illis ad Vrbanum I I. [quoniam diuina prouidentia vestram elegit sanctitatem, cui & vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia; vt eius auctoritate corrigatur: nec vlli alij tutiùs, si quid contra errorem responderetur, ostenditur, vt eius prudentia examinetur. Quapropter sicut nulli digniùs possum, ita nulli libentiùs præsentem epistolam, quam vestræ destino sapientiæ: quatenus si quid in ea corrigendum est, vestra censura castigetur. Et quod regulam veritatis tenet, vestra auctoritate roboretur.] Extant Possessoris, Africani Episcopi, litteræ ad Hormisdam Papam, quibus testatur se ad eum transmisisse recognoscendum codicem suarum explanationum in B. Pauli epistolas. Ioannes Diaconus *in Prologo ad opus de vita S. Gregorij Magni,* idem de suo opere facit, dirigens illud ad Ioannem Papam, tanquam ad eum; (sic enim profitetur,) cuius sit scripta quæcumque probare, aut explodere.

Anastasius item Bibliothecarius, præfatione ad vitam sancti Ioannis Eleemosynarij, sic affatur Nicolaum Papam. [Sed licet membranas inciderim, schedulas præparauerim; non tamen hunc codicem conficere ausus sum, antequam

antequam à Dominatione vestra, ò millies Beate, licentiam adipisci promerui; neque enim fas est, vt absque Vicario Dei, absque Clauigero cœli, absque curru, & auriga spiritualis Israël, absque vniuersitatis Pontifice, absque vnico Papa, absque singulari Pastore, absque speciali Patre, absque te omnium arbitro, aliquid consummetur, aut diulgetur; tu enim tenes Clauas David, tu accepisti Clauas scientiæ. In arca quippe pectoris tui, tabulæ testamenti, & mannæ cœlestis saporis requiescunt. Tu enim, quod ligas, nemo soluit; quod soluis, nemo ligat; qui aperis, & nemo claudit, claudis, & nemo aperit, vicem namque in terris possides Dei.]

Faustus item Sancti Mauri condiscipulus, ad eiusdem Sancti Mauri historiam præfando, affirmat, nihil esse, quod lectores in illius lectione suspensos teneat; se enim, & nihil nisi certum statuisse scriptis tradere, & opus suum Bonifacio Papæ ostendisse, [quod ipse Sanctissimus Pontifex approbans, laude dignum duxit, suaque sancta autoritate roborauit.]

477. Ioachimus Abbas, quem Benedictini suum esse volunt, Cistercienses autem sibi vendicant; vir & doctrina, & sanctitate clarus, teste Gulielmo Parisiensi *lib. de virtutibus*, omnes lucubrationes suas, & quas iam misisset, & quas missurus esset, assignari Summo Pontifici voluit approbandas, aut corrigendas Apostolicæ Sedis iudicio. Ita testatur Honorius III. epistola ad Episcopum Lucaniæ in gratiam Ioachimi demortui, ad obstruendum os loquentium de eo iniqua. Et idem habet Innoc. III. *cap. damnamus, de summa Trinit. & fide Cathol.* quo Ioachimum ob reprehensionem Petri Lombardi, ita reprehendit, vt tamen labe hæresis formalis illum eximat, ea ex causa, quod [idem Ioachimus omnia scripta sua nobis assignari mandauerit, Apostolicæ Sedis approbanda iudicio, vel etiam corrigenda; dictans epistolam, cui propria manu subscripsit, in qua firmiter constat se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ, disponente Deo, mater est cunctorum fidelium & magistra.] Verisimile est, quod significat in Ioachimi vita Gabriel Baxius, hanc epistolam esse syngrapham morientis Ioachimi, qua ante celebrationem Concilij Lateranensis, & intellectam confixionem, quam ibi sustinuit, subiecit omnia sua opera pro more Catholicorum, iudicio, ac censuræ Romani Pontificis.

478. Pulchrè denique idem præstat Godefridus Viterbiensis, præfatione in conscriptam à se historiam ad Vrbanum III. verba eius sunt. [Dum sacrosanctæ Matris, nostræ Romanæ Ecclesiæ, culmen inspicio, & eius eminentiæ considero maiestatem, illud ante omnia necessarium esse intueor, vt sicut ipsa omnibus noscitur præesse Principibus; ita omnes Reges, & Principes, & vniuersa Orbis Ecclesiæ, doctrina eius, & regimine adornentur: & ab ea tanquam à fonte Iustitiæ, totius sapientiæ regulis instruuntur; quia nullum Scripturarum elogium noscitur esse autheuticum, nisi ab eius sapientiæ fluminibus, sitientibus propineretur. Quare si quod historiarum opus, noua per aliquem institutione conficitur, ratio suggerit, vt antequam in publicum deueniat, Apostolico examini præsentetur: quatenus si acceptione dignum esse perpenditur, eius mandato, & iudicio approbetur, & ab eo vires, autoritatèque recipiat, cui terrena, & cœlestia diuinitus sunt commissa.]

Iure

Iure igitur Marinus Papa, scribens ad Carolum Caluum, profitetur Romani Pontificis esse, approbare, atque adeo etiam reprobare quoscumque libros; idque ad clauem sapientiae, ei conceditam spectat. Et notanda sunt verba illius epistolae à Westmonasterienfi exhibitae anno 883. [Relatum est Apostolatu nostro, quod opus Dionysij Areopagitae, quod de diuinis nominibus & de caelestibus Ordinibus Graeco scripsit eloquio, quidam vir Ioannes natione Scotus nuper transtulit in Latinum: quod iuxta morem Ecclesiae, nobis mitti, & nostro iudicio debuit approbari: praesertim cum idem Ioannes, licet multae scientiae esse praedicetur, olim, non sanè sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur.] En quem testatur esse morem Ecclesiae, circa libros, praesertim suspectorum autorum.

479.

Qua immediatorum Praesulum partes, circa eosdem libros.

Secundum Romanum verò Pontificem, & rem exigendo ad amissum regularum fidei, quas ille proponit, haec est, probati ab eo verbi Dei, scripti aut traditi, vel anteriorum ab eo aliòve Pontifice latorum definitionum, addendum est, posse immediatos Ecclesiarum Praesules, gregibus quemque suis prospicere improbatam doctrinam, & librorum, quibus illa continetur, demonstratione, ac confixione pro potestate. Doctoribus autem singulis, aut quantumuis multis, & siue doctrinae ueritas, siue titulorum quandoque mendacium decus spectetur, nihil praeter nudum consilium, absque omni quicquam decidendi facultate competere. Ut effrontissimus profectò fuerit Seuerus, quem Anastasius Sinaita c. 6. idemque refert à suis Monophysitis habitum Doctorem Doctorum; quippè qui de libris omnium Patrum, tanquam examinator, & iudex sententiam scripto tulisset; hos improbens, illos admittens. Ad eam Patrum tabulam diiudicatricem, quam praeter Euangelio adamasse sectarios per Syriam & Aegyptum, testatur Anastasius, occurrebant illicò dementati illi tanquam ad Indicem expurgatorium; libro nomen erat *Veri amans*, mendacitate aliis fabulosis communi, quam notauit in anteloquio ad opus de Aequiuocatione.

480.

Laicis quibuscumque, nihil in huiusmodi libris res fidei tradentibus feri, aut meri, nisi arrogare sibi, quam nullo iure habent potestatem velint, certum est: idque uidisse Ethnicos, apud quos nefas erat libros de Religione ab aliis recognosci, quam à Sacerdotibus, tradit Aegidius Mag. 1. *Decretor. tit. 2. num. 10.* Et sequitur ex iis, quae tradit Castro lib. 1. *de iusta haeret. punit. c. 5. & 23. fundamento 1.* Ut proinde meritò Card. Baronius anno Christi 1186. de procaci, imò Antichristiana quorundam huius aui Christianorum Magistratum arrogantia, hac in parte expostularit. Libros tamen, quibus traduntur haereses ab Ecclesia iam damnatae, meritò per laicos aboleri, rectè statuit Ricciullus lib. 5. *de iure personarum extra Eccles. c. 22.* Non tamen id possunt ante damnationem doctrinae, factam ab Ecclesia.

Iura ciuilibus potestatis in alios libros.

Venio ad libros alia tractantes, quam quae ad fidem, aut Religionem spectant.

481.

Mm 3.

stant.

stant. Hos Galenus *tomo 4. lib. contra Iulianum*, optabat permitti iudicio Collegij alicuius litteratorum, vt eorum arbitrio starent, aut caderent. Sic enim differit Galenus. [Sicut in Ægypto olim artium inuentum vnumquodque à communi eruditorum consensu probatum columnis inscribebatur quibusdam, in sacris locis positis: eodem modo factum, apud nos oportere Collegium proborum simul, doctorumque hominum, qui examinatis recentiorum scriptis, in publicum, quæ bona sint, exponant, mala verò quæcumque fuerint perdant. Nunc, & cum passim omnibus scribere liceat, & vnicuique sententiam ferre, apud vulgus audacissimus quisque maximè commendatur.] Optima propositio. An ex Platone hausta? Is sanè *lib. 7. de Repub.* libros omnes priusquam edantur, & vulgari sinantur, delectorum iudicium, (vtique peritorum,) sententiæ, subiiciendos legem figit. Id verò Platonem ex Hebræis hausisse, Eusebius autor est *lib. 12. de prep. c. 6.*

483.

Quòd tamen nemo sumat sibi honorem, nec fas cuiquam sit, iniussu Re-
ctorum atrogare sibi ius in alienos labores, liquet non posse huiusmodi pote-
statem, corpori vlli, vel cœtui, quantumuis eruditorum, conuenire; nisi da-
tum illi fuerit desuper, hoc est, per publicam potestatem ciuilem. At hæc, vt
adducatur ad huiusmodi Censuram collegium statuendum, agrè sperandum
video; nec fortassis consultum foret id vrgere; quia Censuram salua diuersif-
sima est; & qui liber vni displicet, futurusque inutilis videtur, alteri vna sal-
tem quapiam ex causa, videbitur non inutilis, ac permittendus. Eidem ciuili
potestati, iure optimo subiacent libri mali, quatenus fidem, & sanam doctri-
nam reuelatam non spectant: vt famosi, & obscœni, aut quibus iura merè
temporalia violari contingeret. Tales quippè libros, nemo censuræ, ac iudicio
secularis potestatis per se, ac directè rem spectando, iure subduxerit.

E R O T E M A I I I.

*Quæ seruanda, quæ declinanda, vtrolibet modo
configentibus alienos libros.*

484.

Sive censes, iure prauato, siue pro potestate de alienis lucubrationibus sint
pronunciaturi, non habent solutam, & vsquequaque liberam pronuncian-
di facultatem: sed certis adstrictam legibus, quas nitidè omninò, ac sapienter
proposuit Ludouicus Vives *sub finem libri quinti de tradendis disciplinis*; ex quo
profecit Posseuinus *lib. 1. Bibl. c. 50.* Nos quæ in hac re videbuntur opportuno-
ra, redigemus ad paucos canones.

*Alienarum lucubrationum censes, liberi turbidis motibus sunt.
Nullis auersis affectibus, odij præsertim, ac
superbia, subiacento.*

Nihil procliuius, quàm vt deprauata voluntas intellectum elucifcet. Quare
ante

ante omnia curandum est, ut animi iudicium, (iuxta Tacitum,) citra damnum affectus proferatur. Deplorabat hanc iudicij peruerfionem per affectum seducentem, *Naz. orat. 14. n. 8.* his præter cætera [hodie libidinosus, & scortator ibi est, qui hesterno die Ioseph erat; (huc enim vsque contentio progreditur, quasi flamma quædam per stipulam currens, ac finitima comprehensens.) Et Iudas hodie, vel Caiphas, qui heri Elias, aut Ioannes, aut alius quispiam ex his, qui ad Christum se adiunxerunt, & eadem zona accincti sunt, atque eodem, vel fusco, vel atro pallio contecti, quale vita sancta, & grauis, mea quidem lege, ac sententiâ prætendit. Quin etiam pulchrum illum sublimium virorum florem, hoc est, pallorem, aut compositam, & quietam loquendi rationem, aut incessus grauitatem cum mansuetudine coniunctam, heri Philosophiam, hodie inanis gloriæ studium appellamus: atque tandem aduersus malos spiritus, aut morbos potentiam, nunc Iesu, nunc Beelzebub adscribimus, & iniqua rerum harum regula, hoc est, contentione, & iracundia, utimur: & quemadmodum eadem terra, sanis quidem, ac minimè læsis, fixa, & stabilis est, iis autem, qui circumaguntur, & vertigine laborant, mouetur; nimirum aspicientium vitio ad rem aspectam transeunte: aut, si mauis, quemadmodum idem columnarum interual- lum, iis qui longius remoti sunt, minus videtur; aère nempe ob interstitium velut surrepto, ac visu ea quæ crassiora sunt connectente: ad eundem nos quoque modum, ob inimicitiam facillè decipimur, nec de iisdem rebus eadem amantes, & non amantes iudicamus.] Suffragantur alij Patres.

S. Chryllostomus *hom. 14. in ad Ephes.* [Disceprantes habent inimicitias, non iudicantes veritatem. Et quomodo si sit amicitia, etiam falsa videntur vera, alia est mens, aliud iudicium; non ex æquo audiens, sed cum magna inclinatione, & in alteram partem propensione. Quomodo enim in libra plumbum additum, totum trahit; ita hîc etiam pondus inimicitiarum, cum sit plumbo grauius.]

485.

S. Isidorus Pelus. *lib. 1. epist. 310.* quæ est ad S. Cyrillum Alexandrin. [Præposterus fauor haud acutè cernit; odium autem nihil omninò cernit. Quapropter si ab vtraque læma purus atque immunis esse studes, noli violentas sententias ferre, verùm illata crimina iusto, & integro iudicio committe; quandoquidem Deus etiam, qui omnia scit antequam oriantur, pro sua humanitate descendere, atque Sodomorum clamorem perspicere voluit: hinc videlicet nos ad res accuratè perferendas, ac peragendas erudiens.]

Ioannes Satisberiensis *lib. 5. Polycrat. c. 12.* [Omnes carnis, & sanguinis, religio iudiciaria propellit affectus, euacuans iram, & odium, metum, & amicitiam; quia, ut ait Iulius Cæsar, haud facillè animus verum prouidet, vbi ista proficiunt. Hinc est illud prouerbum, autore Cicerone, apud antiquos celeberrimum, exiit personam iudicis, quisquis amicum induit; æquitas enim cui iudex obsequium debet, odij sinistram, aut amoris dexteram nescit. Nam à veritate non licet in iudiciis declinare.]

Omnes planè contentiones, ac turbas, atque adeò omnes hæreses, ac fidei lacerationes, ex vno hoc fonte profuere, tradit grauius S. Hilarius, *initio libri 10. de Trinit.* Eum retuli, & hanc intellectus inflexionem per voluntatem, fusè illustraui *in mor. dist. 2. à num. 201.* & addendus est, qui de eadem inflexione iudicij per affectum egregiè differit S. Cyrillus *hom. 11. Paschali,* & Lactant. *lib. 7.*

486.

c. 1.

c. 1. Obiter, sed concinnè Petrus Cellensis *epist.* 158. notans affectum quocunque suus illum pulsus tulerit, omnia ad se trahere, & suo nihilominus, siue sapore, siue colore intingere. Specialiter tamen in lectione libri, pro affectu lectoris, variè sapere, quod legitur, notauit egregiè Gulielmus Abbas S. Theodoricus *ad fratres de monte Dei*, agens de lectione sacra cum fructu instituenda. Sic enim scribit. [Intentioni seruit lectio. Si verè in lectione Deum quærit, qui legit, omnia quæ legit, cooperantur ei in bonum, & captiuat sensus legentis, & in seruitutem redigit omnem lectionis intellectum in obsequium Christi. Si in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post semetipsum; nihilque tam sanctum, tam pium inuenit in Scripturis, quod seu per vanam gloriam, seu per distortum sensum, seu per grauem intellectum, non applicet vel malitiæ, vel vanitati. In omnibus enim Scripturis, legentis initium debet esse timor Domini, vt in eo primo solidetur intentio legentis; & ex eo ordinetur, & exurgat totius lectionis intellectus, & sensus.]

487. Hoc si de lectione sacra, quæ sit ad reficiendum spiritum, verè dicitur, quanto magis de ea lectione libri, quæ dirigitur ad censuram? Pro affectu namque censoris, siue in bonam, siue in malam partem obtorqueri solet iudicium. Sic amicus de amici opere, & multo magis autor ipse de suomet opere iudex inidoneus est. Optauerat sibi Symmachus, censorem Hysperium; timens verò sibi ab amicitia inter ipsos intercedente, [Amor mei, (inquit *lib. 1. epist. 78.*) stylum tuum coëgit in gratiam. Fit enim sæpè, vt iudicis seueritatem frangat affectio, & amicorum facta, dictaque, ea indulgentia censeamus, quæ plerumque singuli, etiam vitia nostra diligimus.] Habet sanè hic locù, quod S. Paulinus *initio epistola 2. ad Seuerum* scribit. [Te multa dilectio, vsque ad mendacij peccatum trahit.] Et mox. [In charitatem de charitate peccas.] Et quod ad eundem scribit *initio epist. 7. allegato conuictio illo in Apostolum in cor. 26.* multæ literæ te ad insaniam perduxerunt; addit, [vnanimittatis licentia, quæ mihi tecum de vnanimittate fidei est arctior, vsurpabo, verbi, non animi similitudinem, vt dicam: Seuere, mi Seuere, multa te charitas penè delirum facit; & circa me, non ætate, sed sensu paruulum tuum, tanquam auus circa tenerum nepotem, nimia pietate, (quod tamen pace prudentiæ tuæ dixerim,) stultus efficeris.]

488. Ita planè plerisque, in rebus amicorum, charitas, & dilectio deliros facit. Erit qui opponat illud Hieronymi *epist. ad Pammachium*, contra errores Ioannis Hierosol. [Non æquè inimici audiunt & amici. Qui inimicus est, etiam in scirpo nodum quærit: amicus praua quoque, recta iudicat. Scribunt sæculi literæ, amantium cœca esse iudicia, quas ne forsitan sacris voluminibus occupatus omninò neglexeris. Nunquam de amicorum iudicio gloriaris. Illud verum est testimonium, quod ab inimica voce profertur. Alioqui si amicus pro te dixerit, non testis, aut iudex, sed fautor putabitur.] Vide: ut his verbis S. Hieronymus, hostis censuram approbare, amici reprobare; sed non ita est: sensus autem eius est, laudem ab inimico delatam, suspitione vacare; cum è contrario laus delata ab amico, suspecta meritò esse soleat, quia amicitia voluntatem aliorum facilè inflectit.

490. Hanc ipsam ob causam, nemo in sua causa est iudex idoneus, nec de suis libris, aut liberis rectè pronunciat. Iudicant pulcherrimum mater filium, tamen si deformior non fuerit Therfites. [Simias ferunt, (inquit Synesius *epist. 1.*) postquam pepererint, in foetibus suis, tanquam simulachris obtutus defigere, pulchritudinem

dinem demirantes : ad eò natura eius quod pepererit, amans est. Aliorum porrò inuicem vident id quod sunt, simiarum esse partus : quamobrem aliis permit- tenda in sobolem inquisitio est ; fauor enim corrumpendis suffragiis efficacis- simus est. Ob id Lysippus, Apellem ad tabellas admittebat, & Apelles Lysip- pum.] Protogenem cum nominare vellet, Lysippum scripsit incogitans; sed hæ- reo in re proposita. De ea, eiusque erga factum suum exoculatione, Ambrosius similiter statuit *epist. 40.* quæ est ad Sabinam. Notauit id ipsum verbis illis Maximus *centur. 3. de charit. num. 58.* [Quemadmodum parentes corporum, compatiuntur natis ex se liberis ; sic etiam animus naturaliter suis indulget rationibus, & cogitationibus. Et sicut parentibus illis, qui magis dediti fuerint affectibus, liberi sui, quanquam omnium, & per omnia fuerint ridiculosissimi, & turpissimi, omnium tamen videntur optimi, & formosissimi ; sic etiam amanti animo, suæ cogitationes, & rationes, tametsi ex omnibus fuerint pessi- mæ, sapientissimæ tamen esse videntur.

Præiuerat his Patribus Arist. 9. *Ethic. cap. 7.* qui non secus affici Poetas ad libros suos, quàm parentes ad liberos, egregiè monuit. Idem Platoni sedit iu- dicium, qui *epist. 7.* eo chariores autoribus libros, quàm parentibus filios esse docet, quòd hi corporum, illi ingeniorum sint proles. Quod apud Clementem quoque Alexandrinum initio libri primi Strom. legere licet, & apud Cassiodo- rum in *præfatione variarum, post medium.*

Quod prædicti circa suos, aut suorum libros, præ amore, vt par est, facere non possunt, multo ægrius, inimici affectu odij exoculantis præpediti, præstare erga hostium, quos exolos habent, lucubrationes valent. Quare tetrum hunc affectum à censoris pectore exulare, necessarium in primis est. Idque maxime conuenit curare Ecclesiasticos iudices, cuiusmodi ferè sunt, qui de libris pro- nunciant. Nam si seculi iuribus, qui odio flagrant aduersus aliquem, à iudi- cando repelluntur ; multo conuenientius est, idem seruari in Ecclesiastico quocumque iudicio, cuiusmodi est id in quo versamur, siue priuatum sit, siue publicum. Sanctus Damasus *epist. 4. num. 6.* exemplo secularium iudicum ad eliminandum odium vrgebat Ecclesiasticos quoscumque iudices, atque ad eò etiam censes. [Docent enim, (inquit,) ex parte terrena, quæ sunt cælestia. Accusatores verò, & accusationes, quas sæculi leges non adsciscunt, nullatenus sunt in horum admittendæ causis ; quia omne quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia, & hoc à maioribus definitum esse, propter prauorum hominum insidias, non dubitatur ; decet enim Domini Sacerdotes, fratrum causas piè tractare, & venerabiliter intendere ; atque eorum iudicia super sacrificia ordinare, nec proteruè, aut tyrannica dominatione, (vt de quibusdam refertur,) sed charitatiuè pro Deo, & fraterno amore cuncta per- agere, & quod sibi quis fieri secundum Dominicam vocem, non vult, alij inferre non præsumat ; & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.] Quod assumpsit Damasus de sæculi iudicibus, bellè expressit Theodoricus Rex apud Cassiodorum *epistol. 10. lib. quarti*, sic edicens. [Fædum est inter iura publica priuatis odiis licentiam dare. Nec ad arbitrium proprium iudican- dus est inconsultus feruor animorum. Iniquum quippè nimis est, quod delectat irarum. Furentes iusta non sentiunt ; quia dum commoti animò in vindictam sæuiunt, rerum temperantiam non requirunt. Hinc est, quòd

N n legam

491.

legum reperta est sacra reuerentia, vt nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu.]

492. Sunt qui malignitatem censuræ ex odio expromptæ, alia malignitate cumulant, admiscentes nimirum laudationem aliquam inter infigendum aculeum; quod maximè in censura priuata locum habet. Notauit hanc Vafritiem malignantium, Blesensis *epistol.* 91. verbis illis: [Si opuscula mea in manu æmuli quandoque sinistro deuoluantur euentu, bona, (inquit,) hæc essent, si authoritates quas ipse adaptat, sederent competentiùs, aut materiæ responderent: sic in scriptis veterum plerumque describitur inuidia, & venenosa malitia detractorum. *Felix & nato, Felix & coniuge Peleus, Et cui si demas ingulati crimina Phoci, omnia contigerant.* Et illud Iulium Fortunatum, fateor virum fortem; qualiter tamen iudicium repetundarum euaserit, miror. Publius Antonius elegantissimè postularer, nisi quod præuaricatus est in causa Lucilij. Ecce quomodo inuidia, mel intoxicat; & dum aliena virtute torquetur, bonum quod apud se non inuenit, malitiosè deprauat. Opinioni enim alienæ dispensium, suæ famæ reputat lucrum, totumque sibi detrahi credit, quod ad titulos vicinæ bonitatis accedit.] En quid intenderet, & quò spectaret laus illa astuta. Non esse tamen hoc velamen malitiæ idoneum, monstratum est superiùs ex Petro Damiani, agendo de libellis famosis. Tantumque abest, vt ea mellis admistio sit fellis expurgatio, vt potius sit aggestio, & cumulatio malignitatis, & odij.

493. Rectè ergo constitutum est, vbi affectus, & odia, iudices & censes occupant, nihil aliud, quàm iniquitatem iudicij expectandam esse. Sed Deus retribuet in tempore. Patuit id in iudicio de Sancto Chrysofostomo, in quo, vt Photius ait *cod.* 59. Theophilus Alexandrinus, & socij, in sanctum virum coniurati. [Et testes, & accusatores, & iudices, & omnia erant.] Euentus docuit, quid ex malignitate in sanctum virum contigerit. Sed Deus vltor non defuit, vt habet notissima historia de Theophili agonia.

Ex ea porro necessitate vacuitatis affectuum malignorum in censoribus, consequi videtur, minùs aptos ad pronuntiandum de alienis libris esse, nisi Deum præ oculis intentissime habeant, quosuis in vnum corpus confertos, quàm cæteros ea multorum necessitudine liberos. Nihil enim procliuius est, quàm vt amor, aut odium, quo corpus erga aliud corpus, vel vnum ex eo aliquem flagrat; à censore eidem corpori conferto, ad librum authoris adamarri, vel exosi transferatur; itavt quod habet Suidas *v. Bizantium*, de septem Bizantinis turribus, in quarum primam si inclames, omnes resonant, idem de quibusuis ad eundem cæterum pertinentibus valeat. Omnes iisdem odiis flagrant, & iisdem illaqueantur amoribus; præsertim si agi communis causâ videatur, & cæterus honor periclitari existimetur. Itaque non aliter statuendum est in hoc negotio, quàm cum de opinionibus, & placitis agitur. Vt enim monuit Maior *in 2. dist. 1. quest. 4.* Religiosi eiusdem Ordinis, quantumuis multi, non habentur idonei ad conciliandam probabilitatem sententiæ; quia ob affectum, & communis honoris curam, fœderantur, nec habentur vt plures.

494. Quia verò Authore Aristotele, inuidia est odij particula, necessarium maximè est, eam abesse ab eo qui alterius censor sit futurus; quantumuis nihil

nihil sit frequentius, ut hoc ex capite scriptores vexationem sustineant; est enim id scriptorum maximè proprium, ut notauit Thomas Waldensis *romo 1. in praludiis, post doctrinam 10.* Sanè doctrinam qua par est conspicuum esse scriptorem, rem esse omnium inuidiosissimam, rectè dixit Nazianz. *orat. 20. num. 29.* An ob excellentiam? Quod enim dixit Eunapius *in Oribasio.* [Ut sine crista, non est alaunda; ita nec excellentia sine inuidia.] Vnde omnes semper sancti, & eminentes probitate viri, æmulos habent, & inuidia flagrant aliena; quia eminens quid est sanctimonia, ut Sanctus Hieronymus in S. Paulæ Epitaphio animaduertit. Similiter ergo, quia doctrina scriptoris, ex libro deprehensa, est aliquid excellens, ferit eam inuidia. *Vrit enim fulgore suo, qui prægrauat artes, infrà se positas,* ut Flaccus *lib. 2. epistol. 1.* admonuit. Hunc inuidiæ stimulum, & aculeos sentiens, idem S. Hieronym. *præfatione in Esdræ.* ad Domnionem, hastam propè abiiciebat, agrèque adducebatur, ut scriberet. Sic enim sensum hac in parte suum aperit, cur tamdiu detrectasset laborare circa Esdræ, & Nehemiam. [Accedunt ad hoc inuidorum studia, qui omne, quod scribimus, reprehendendum putant, & interdum contra se conscientia repugnante publicè lacerant, quod occultè legunt: in tantum, ut clamare compellar, & dicere, *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Tertius annus est, quod semper scribitis, atque rescribitis, Esdræ librum, & Hester vobis de Hebræo transferam: quasi non habeatis Græca, & Latina volumina, aut quicquid illud est, quod à nobis vertitur, non statim ab omnibus conspuendum sit: frustra autem, (ut ait quidam,) niti, neque aliud fatigando, nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. Itaque obsecro vos, mi Domnion, & Rogatiane charissimi, ut priuata lectione contenti, libros non efferatis in publicum: nec fastidiosus cibos ingeratis; vitetisque eorum supercilium, qui iudicare tantum de aliis, & ipsi facere nihil nouerunt.]

Quamquam in fine illius epistolæ ad Domnionem, animum erigit aduersus obiectas ab inuidia moles, sic scribens. [Itaque licet hydra sibilat, victorque Sinon incendia iactet, nunquam meum, (iuuante Christo,) silebit eloquium, etiam præcisa lingua balbutiet, legant qui volunt, qui nolunt, abiiciant, euentilentque apices: litteras calumnientur, magis vestra charitate prouocabor ad studium, quàm illorum detractione, & odio deterrebtor.] Tamen minor animus facilè concidit, & linquitur; quæ non est exigua virulentia censuræ iniquæ, cum scriptores idoneos à labore, & communis boni studio auerrat.

Affectus propositi, ex quibus peruerti censuram admonuimus, ferè sunt superbiæ genimina. Quare censorem, humilitatis studiosum esse necesse est, ut virulentæ illæ propagines exarescant. Carent hoc virtutum omnium gazophylacio, (provt S. Basilius *in constit. cap. 16.* humilitatem nominauit,) benè multi, qui de aliis censendi potestatem, qua carent, sibi arrogant, quod in Grunnio reprehendit S. Hieronymus verbis illis, admonens Rusticum. [Nulli detrahas, nec in eo te sanctum putes, si cæteros laceres. Accusamus sapè, quod facimus. Contra nosmetipsos disertis, in nostra vitia inuehimur,

muti de eloquentibus iudicantes. Testudineo Grunnius incedebat ad loquendum gradu, & per interualla quædam, vix pauca verba carpebat, vt eum putares singultire, non proloqui; & tamen cum mensa posita, librorum exposuisset struem, adducto supercilio, contractisque naribus, ac fronte rugata, duobus digitalis concrepabat, hoc signo ad audiendum discipulos prouocans: tum nugas meras fundere, & aduersum singulos declamare. Creticum diceres esse Longinum, censorumque Romanæ facundiæ notare quem veller, & de Senatu doctorum excludere.] Et *epist.* 75. [Tibi soli licet, τῷ σοφοτέρῳ κρῆνισ, de cunctis, & Græcis, & Latinis tractatoribus ferre sententiam, & quasi censoria virgula alios eiicere de bibliothecis, alios recipere: & cum tibi placuerit, me vel Catholicum, vel hæreticum pronunciare.] Humilis censor, tantum abest, vt huiusmodi supercilio sit efferendus, vt potius quantum per res licet, de omnibus benignè, & cum laude pronunciare gaudeat; nisi cum materiæ vitium, apertè, & quasi iniecta vi, aliud extorquet.

Lentè festinanto. Præcipationem auersantor. Ne volentes quidem, ad configendum veniunto.

497. Vbique quidem festinandum lentè, quod monstro tradens subsidia prudentiæ *lib. 2. de virtut. num. 108.* Hic tamen maximè necessarium est hoc monitum, ob graue discrimen, suam conscientiam, & alienam famam præpropera confixione fauciandi. Grauius in omnibus iudiciis cauendam Dei imitatione præcipationem, confirmat Euaristus Papa *epistol. 2.* Valèrque vbique illud Zozimi *epistol. 3.* qua excutit causam Cælestij in Africa damnati. [Magnum pondus examinis, magna desiderant: vt non sit rebus ipsis quæ geruntur, inferior libra iudicij.] Addit in eandem sententiam, & præcociis, (vt notat,) immaturique iudicij condemnationem, castigatæ verò cunctationis laudem, alia inferius. Et optimè rursus *epistol. 4.* verbis illis. [Doceat nos terrena moderatio, quæ secularibus arbitriis, & causis primùm de ipsis iudicibus eligendis, repudiandisque sit. Et quanta cunctatio, quot interpositæ dilationes? Quoties adhibita comperendinatio; etiam sub fine ipso certaminis ampliari iudicia cum innocenti-reo? confugitur ad mare, & extra marina documenta, vt fides quæ in præsentī plerumque arctioribus strangulatur angustiis, saltem eminens veniat. Hæc omnia, (mentior,) nisi in patrociniū tuendæ innocentie reperta sint. Tolerabilius est enim innocentem quemlibet tardiùs inueniri, quàm citò pro nocente damnari.]

498. Similiter S. Gregor. 19. *mor. cap. 23.* [Notandum video, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipientes esse debeamus, ne temerè indiscussa iudicemus, ne quælibet mala audita nos moueant, ne passim dicta sine probatione credamus. Quod profectò perpetrare pertimescimus, si authoris nostri subtiliùs facta pensamus. Ipse quippè, vt nos à præcipitata sententiæ prolacione compesceret, cum omnia nuda, & aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare, qui ait, *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum, multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam, & videbo, virum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.*

an.

an non est ita, ut sciam. Omnipotens itaque Dominus, & omnia sciens, cur ante probationem, quasi dubitat, nisi ut grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quàm probare?] Scitè Sarrisberienſis *lib. 5. polycrat. cap. 12.* [Iudicia festinata, pœnitentiam pariunt. Vnde, & Græci cùm vrgentur ad sententiam, antequam de causa liqueat, respondent, Patres suos solem apud Antipodas non vidisse, sed expectasse semper, donec & ipsis oriretur. Dicunt etiam præproperum esse viatorem, qui antequam Lucifer oriatur, crassis adhuc tenebris, lucèque remota, diætam aggre ditur.]

Specialiter in iudicio de doctrina aliqua, aut libro, auersandam esse præci- 499.
pitationem, inde liquet, quòd procliuius est in scripta, quàm in facta dictaue, infigere genuinum; hæc enim est illa ab omni æuo insita prurigo detrahendi, quam vitare non potest, nisi qui omninò nihil scribit, ut ex postulat S. Hieron. *sub finem epistolæ ad Cresiphontem, & in præfatione ad Chronicon Eusebii abs se versum.* Videndus etiam S. Chrysoſt. *hom. 15. in 1. ad Timoth.* ad illud, *maximè qui laborant in verbo, & doctrina.* Nam solemnis lacerabilitas laborantium in doctrina, de qua ibi Sanctus Chrysoſtomus, scriptoribus maximè propria est. Itaque plumbea hîc & matura admodum progressionem est opus. Iureque id in hac materia specialiter esse Lutetia cautum suo tempore, scribit Gerſo *parte 4. in protestatione quadam pro exclusione Schismatis, pag. mihi 270.* Testatur enim quandoque in vnius dicti theologi discussionem, priusquam ad censuram veniretur, impensum tempus solidi anni, quandoque biennij, aliquando verò post longam consultationem, & comperendinationem, nihil fuisse conclusum. Similiter Ioannes Maior, quanta maturitate post Gersonem procederent censores, testatum dedit *in 2. d. 2. quest. 8.* scribens, discussionem fieri solitam. [Comuniùs per 20. vel 24. deputatos, viros exercitatos, & promptos; ita quòd quilibet seriatim, motiua sua hinc inde, & quid sentiendum sit, demùm apponit, & secundus rationes primi, & tertius rationes duorum primorum, & sic ad nouissimum vsque inclusiue examinat; & ab his conclusum, rursus in tota facultate versatur, & discutitur antequam aliquid concludatur.] En restudineam progressionem, & dignam maturitate censoria grauitatem. Est planè huiusmodi lentitudo necessaria, cùm de improbatione, & confixione agitur. Si verò de laudatione, & approbatione sermo esset, admonet Viues *lib. illo 5. de tradendis disciplinis,* non esse exigendam tantam circumspectionem, ac lentitudinem. Maiore quippe periculo erratur, damnando, & configendo, quàm laudando, & approbando.

Vt autem lenta, & matura sit confixio, caueaturque ea præcipitatio, propter 500.
quam censuræ, sannis, ac risui patent, veniuntque in contemptum, quod Bannes *1. p. q. 1. artic. 8. dubio ultimo,* annotauit; necessarium est iuxta eundem Viuem, ut censor nequaquam vltro, ac lubens ad configendum veniat, sed inuitus, ac renuens; ita ut si per veritatem, ac bonum publicum liceret, mallet approbatorem, quàm damnatorem agere. Confixio enim per censorem facta, non aliter se habet, quàm immisso scalpelli in putre membrum per medicam manum. Bonus autem Medicus ægri, ad rescissionem putris membri, ita adducitur, ut nisi ægri necessitas id posceret, ea truncatione abstineret, quantum quidem esset ex propensione sua, & voluntate. Ea aliquorum ad improban-

dum, & damnandum inclinatio, & propensio, sapit diabolicam malignitate in
Nam damnatio censoris, est quædam veluti accusatio libri apud genus huma-
num. At Diabolus, vt S. Augustinus notauit *q. 49. in Numer. & S. Basil. epist. 75.*
idcirco *Diabolus* dictus est, quod amet accusare, & criminari mortales; non
quod non sit aliqua sancta, & iusta accusatio, vt idem S. Augustinus ibi ex-
pendit, sed quod [Satan amet accusare, inuidentiæ stimulis agitatus; quale
illi in Apocalypsi testimonium perhibetur.] Aduertat ergo quo spiritu agatur,
qui suffigere amat.

Oprimum porrò retinaculum præcipitationis in hoc genere, esse debet illud
Sancti Hieronymi *epist. 61.* quæ est censura Ioannis Hierosolymitani, *initio.*
[Si iuxta Paulum Apostolum, quod sentimus orare non possumus, ac propria
mentis cogitationem sermo non explicat; quanto magis periculosum est, de al-
terius animo iudicare, & singulorum dictorum, atque verborum inuestigare,
atque proferre rationem.]

*Inauditum neminem damnanto. Damnationis cau-
sam ne celanto. Purgationis tempus,
ac facultatem concedunto.*

501.

Damnari aliquem inauditum, summa iniustitia est, si quidem audiri possit,
& noxa non sit adeò explorata & euident, vt necessitatem discussionis excludat,
periculum verò sit in mora. Cur has limitationes adhibeam, non est obscurum.
Si enim libri autor iam obierit, non est quod eius sensus exquiratur, & audiri
debeat priusquam feriat. Si item errores, quibus liber aperte sordet, iam sint
citra ambiguitatem damnati; ita vt autor, ob anteriorem damnationem eorun-
dem errorum habeatur contumax, non est, quod putetur necessaria dampnan-
do monitio, quæ tantum pertinet ad virandum iudicij errorem, ex non satis
perspecta autoris mente, vt satis aperte colligitur ex Gelasio *in Commonitorio ad
Faustum magistrum*; & disertè docet Durandus Leodiensis *epistola ad Henri-
cum Regem Francorum contra Berengarium.* Idque præsertim valebit, si cum non
sit ambiguus libri natus confixione dignus, periculum tamen sit, ne procras-
tinatione creetur damnum, dum autor consulitur. In alia materia S. Leo IX.
in Synodo, Gregorium Vercellensem tamen absentem & inauditum, ob gra-
uissima crimina, de quibus compertus erat, excommunicauit, atque damnauit,
vt scribit Hermannus, & ex eo Baronius *anno 1051. n. 1.*

502.

At his sepositis, summa, (vt dixi) iniustitia est, & omnibus iuribus repugnans,
damnare aliquem inauditum. Quod hæc res magni omnino sit momenti, il-
lustranda esset prolato circa eam sensu, ac consensu gentium omnium, Ethni-
corum, Hebræorum, Christianorum: nisi id iam præstitissem integra lucu-
bratione, cui titulus, *Gemitus columbe de iudiciis seculi*, quæ hîc iterare non
videtur operæ pretium: sed generatim sufficit statuere, damnationem inauditi
extra infrequentissimos euentus, qui per accidens aliquando contrarium vsum
admitti sinunt, passim proseribi à Doctoribus quibuscumque tanquam pugnan-
tem cum lege diuina scripta, & naturali, aut cum iure gentium deriuato ex
principiis iuris naturalis, & in illis fundato. Nicodemus certè *Ioann. 7.* cum
Iudæi

Iudæi inconditè, & tumultuosè in Christum furerent, & eius inauditi damnationem vrgerent, negavit legi Iudæorum consentaneum esse, sic iudicare. Varrij Summi Pontifices, quos eadem lucubratione sigillatim appendo, damnationem inauditi inter iudiciorum, summas & maximè auersandas abusiones recensent. Idem tradunt varia Concilia eodem opere annumerata. Quod verò ad Patres attinet, res est explorata, conclamari passim ab eis in damnationem inauditorum. Videndi præsertim, qui causam Sancti Athanasij aduersus Constantium susceperunt; quos inter, validissimè id prosequitur S. Lucifer Calaritanus. Sed & Theodoretus omninò multis epistolis, multus est in vrgenda iniustitia, quæ damnatione inauditi admittitur. Quod enim se grauatam iudicio Ephesino contra inauditum lato, (vt ipse quidem contendebat,) expostularet; creber ac fortis est in exagitatione illius iniustitiæ; quam etiam D. Chrysostomus epistola 1. ad Innocentium Romanum Pontificem, vltra Sauromatas, & glaciale Oceanum ablegat, contestans neminem vnquam Gentilium, quantumuis Barbarorum, de quopiam inaudito iudicasse. Denique iuris vtriusque periti, citationem rei, & eius auditionem, substantialem esse iudicio agnoscunt; ac proinde, per se loquendo, semper esse præmittendam decernunt pronuntiationi de reo, & impacta ei accusatione. Cùm igitur reorum admonitio sit substantialis & intrinseca iudicio, non est cur à iudicio de libris exulare debeat; nisi si, (vt præmissi,) errores citra omnem ambiguitatem iam damnatos contineant; nec sit dubia, sed explorata mens auctoris; in quo euentu anterior damnatio potest monitionis, & citationis locum tenere. Sicut DD. Canonum tradunt, excommunicationem à iure, non egere monitione præuia, eo quòd legis violatæ mutus clamor, satis superque interpellarit criminolum. In re igitur nostra extra euentum propositum, libri auctor priusquam suffigatur, audiendus est, & in quo eius doctrina displiceat, admonendus.

Neque tamen volo, quæ dixi, obstare impeditiōni malorum quæ ex libri reprobi libera per quoscunque tractatione possent existere, dum causa proscribendi libri agitur. Si enim insit libro quod meritò reprehensionī pateat, vel etiam iustæ nec planè leui suspiciōni, consultum planè fuerit, vel etiam necessarium, obstare principiis, & libri, (vt ita dicam,) cursum impedire, donec adhibita sententia definitiua, planè liqueat vel de libri nitore, vel de inquinatiōne periculosa. Simile est quòd circa noxiorum personas præstari videmus in omni benè constituto tribunali. Ex quo enim reus, insimulatus est sceleris, priusquam compertus eius habeatur; & letho, alterive graui supplicio adiudicetur, vel labis purus pronuncietur; persona capitur & loco tuto constituitur, idque sine eius iniuria, ne ad iudicij instituendi horrorem diffugiat, & postmodum sceleris ritè conuicta, pœnas commeritas malè declinet: Exoluenda & innocens vitæ declaranda, si causa discussa, talis appareat. Idem igitur de libro dico, proportione seruata, ac proinde quæ adducebam de non damnando opere priusquam audiantur quæ pro se allegare potest auctor, spectant damnationem definitiuam.

Quia verò perinde est non admonere, ac generatim tantum denunciare, esse in libro aliquid, quod displiceat, nihil determinatè designando, propter quod liber improbetur, idcirco necessarium est significare distinctè, & determinatè, quid sit illud, quod reprehensionī pateat. Rem à simili in negotio

503.

504.

non

non admodum abiuncto , subiicio ob oculos , nec est euentus confictus.

Nemo certò non censuit barbaram , & tyrannicæ affinem , illam agendi rationem , iis tantum probandam , apud quos Heretarchia degenerauit in Eretarchiam ; nimirum , ut quos falsò , & per calumniam uellent opprimere , dicerent , certis grauari accusationibus , quæ tamen ipsis reis detegi nequeant , ne criminatores deprehendant. Qua calumniandi , (non enim regendi ,) impotentia , nihil truculentius , vel iniustius fingere liceat. Meritoque eum de ea est auditum , uiri sapientissimi , & grauissimi , ita cohortuerunt , ut cum naturæ lumine pugnantem , belluinam , tyrannicam pronunciauerint. Nihil sanè possit , vel calumniatoribus accidere opportunius , vel impotentis iræ præfecto commodius ad explendam perdendi eum quem exosum habuerit , libidinem , quàm si barbara illa agendi ratio teneatur , & generatim tantum significetur , esse graua quædam , quorum quis sit insimularus , & quorum causa vexationem sustineat ; non tamen posse aperiri quæ illa sint , ne qui noxium derulere , deprehendantur à criminoso. Cedo quàm optimum , quàm irreprehensibilem , & sanctum uoles hominem ; nego posse illum aduersus hanc agendi rationem tegere innocentiam. Quis enim excuset , aut purget , quod nescit ? Quos uerò maledicentiæ suæ limites ponet calumniator , cui securitatem præstat ea indignissima agendi ratio ?

Hæc obiter contra Eretarchiam propositam sunt commemorata , ut appareat , quanto iure hic ipse , modus agendi , in ea quam agimus causa , improbetur ; & quàm merito deprecamus , ut autor cuius liber damnandus est , audiat quorsum damnetur. Et ita planè postulat præter iustitiam , charitas , quæ spectare debet fratris ab errore liberationem , & curationem. Quomodo autem admouebitur curatio , si morbus lateat ? Vel quomodo dedocebitur quis errorem quem nescit ? Plus satis liquet , crescere hinc posse licentiam ferendi innoxios , si aliqui inuenirentur censes minus integri : & quantumuis labis pueros statuamus esse censes , haud dubiè obstricti ad seruandum quod poscimus , sicut magis attenti ad pronuntiandum de aliis. Nam quia constabit quas ob causas liber notatus , & autor damnatus sit , uiri docti , & æstu inconditorum affectuum liberi , iudicarent de iudicibus , si quid præter ius fasque admitti ab eis contingeret. Qui igitur exponere renuerent quorsum librum damnarent , impunitatem censerentur capere , ut prærogatiua muneris , iure damnasse uideantur : dum autem quorsum damnent non produunt , à iusta peritorum reprehensione immutes labeant ; quo nihil dici potest incongruentius , remotiusque ab æquitate.

505.

Nec sufficit , ipsos inter se censes , aut iudices , causam damnationis proponere , sed ipsi quoque auctori , cuius liber damnatur , patefacienda est ; sicut in iudicio iusto , non solis iudicibus liquet , quam ob causam criminosus patibulo addicatur , sed ipsi etiam reo exponitur causa damnationis , & mortis irrogandæ. Quinimò ut punitionis illatæ fructus debitus extaret , uideretque populus quid in aliis plesteretur , quid ipse uitare deberet , palàm prostare causam damnationis , etiam inter Ethnicos , receptum usu fuit iam olim , sic enim titulus damnandis adhibebatur , qui causam supplicij exprimeret. Dico in hanc rem omnino multa , citata tractatione de iudiciis sæculi. Videtis etiam Baro-
nium

nium ad martyrol. Rom. 20. Ianuarij, Gretserum lib. 1. de Cruce c. 27. & Malonium ad c. 6. Paleori de sacra sindone, num. 4. qui considerant hoc vltu receptum esse, vt constaret, iudices non suoptè nutu, sed adactos à rei iniquitate, pœnam irrogasse. Eàmque ipsam ob causam Deus in extremo iudicio non celabit damnatos damnationis suæ causam, sed liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, vnde mundus iudicetur. Idem ergo, vt notat Cardin. Tuschus *litera D, conclus. 803. num. 2.* & *litera M, conclus. 403. num. 2.* æquum est seruari ab omnibus æ quis iudicibus in quacumque demum damnatione; ac proinde etiam in libri suffixione, quæ simul est auctoris damnatio. Alioqui quis fructus manabit ad alios ex libri damnatione? Quomodo discent, quam doctrinam probent, quam improbent iudices? Sanè non ita pridem, cum libri Michaël s Baij, damnati sunt per Pium V. & Gregorium XIII. exhibitæ sunt auctori, propositiones nouem supra septuaginta, quæ improbabantur. Idem quoad libros Lutheri seruauit Leo X. in *Extranaug. Exurge Domine*, excerpens 40. & vnum articulos, ex Lutheri libris. Item Conc. Constantiense *sess. 8.* recensens articulos, 45. ex libris Wiclefi, & triginta ex libris Hussi, & idem fecere alij plerique Pontifices.

Non potest in contrarium obtendi illud *Seuicæ epist. 94.* [Non probo, quòd Platonis legibus adiecta principia sunt; legem enim breuem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur; velut emissa diuinitus vox sit, iubeat, non disputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quàm lex cum prologo. Mone, dic quamdiu me velis fecisse. Non disco, sed pareo.] Et hac in parte dissentire à Possidonio, profiretur Seneca, quòd Possidonius leges non tantum imperare velle, sed & docere.

506.

Hoc nego posse contra ea obtendi, quæ de prodenda damnationis causa præmissimus: quasi quia legis non est disputare, & causas cur feratur assignare, possit quoque damnationis causa prætermitti; est enim longè dispar ratio, legis, & damnationis. Lex voluntatem Principis edicit, & quid iuris deinceps sit futurum proponit; qua in parte plerumque est pro ratione voluntas. Et vt ratio non deesset, sæpè par est eam premi, tum quòd ira poscat publicum bonum, tum quòd plerique eam non satis peruaderent, aut idoneam agnoscerent. At sententia damnans, infert pœnam præter propensionem, & voluntatem iudicis, ob patratum à reo crimen; ac proinde necessarium est, vt extortæ pœnæ causam contineat, eàmque ipsimet reo patefaciat.

Haudquaquam porrò satis esse debet æquis censoribus, causam damnandi operis patefecisse, sed tempus, ac facultatem ad purgationem, (si fortè suppetat,) autoti negare non debent. Perinde enim esset, indicta causa, & inauditum damnari, at non data purgandi sui facultate, notare. Sanè S. Damasus *epist. 4.* quæ est ad Stephanum Mauritanæ Archiepiscopum, & Africana Concilia, tradens legitimam rationem instituti Ecclesiastici iudicij, inducias congruentes ad purgandum, vel defendendum, reo esse concedendas, decernit; & probat ex secularibus iudiciis, in quibus ex legum præscripto, ea forma seruatur. Grauis S. Ambrosij sententia, huc bellè cadit *epistola 19. in fine.* [Difficile quidem imbuti animi infidelitatis venenis, abolere possunt impietatis suæ glutinum; si tamen in iis virus infaustum inoleuerit. Nec facillè iis credendum putet. Nerui enim sunt, & quidam artus sapientiæ, non temerè credere, maximè

507.

O o

in

in causa fidei, quæ raro perfecta est in hominibus. Tamen si quis est, qui licet suspectæ sit infirmitatis, & nutantis affectus, purgare habitam de se opinionem velit, permittit, vt satisfecisse se putet: indulge aliquantulum. Cuius enim excluditur satisfactio, auertitur animus: nam etiam medendi periti, cum vident notas ægitudines, vt ipsi appellant, medicinam quidem non adhibent, sed tamen medicinæ tempus expectant, nec deserunt inualidum, sed leuioribus verbis, aut quibus possunt palpat delinimentis; ne aut intermissa ægritudo desperatione animi grauescat, aut crudior medicinam respuat, eo quod ad maturitatem peruenire nequeat, si indigestè insolens rerum huiusmodi, medicas habeat manus; siquidem, & pomum cum immaturum exagitur, citò deperit.]

§08. Optimè item huc faciunt illa Alphonsi Tostati in *prefatione prima paris defensorij*, cum aduersarij defensionis facultatem ei præcludi curarent. [Ecce, (inquit,) quanta iniquitas, en quanta diuini ac humani iuris confusio; en ipsius naturæ iura violata, vt constituto iusticiæ Tribunali, ipsi teo defensionum copia denegetur, quam tamen sæpè clamoris, & opportunis, atque importunis vocibus, teste, (vt ita dicam,) tota Ecclesia, expoposcerat. In quo etsi iniustissimè, astutè tamen ipsa iniquitas procedebat. Præteritorum namque sibi conscia, ipsa æmulorum prauitas sperabat, indubiè omnes suas tendiculas destruendas: omniæque non sibi compacta molimina leui concussione dirui, nec ad destinatam conceptionem esse possibile perueniri, si defensionum copia publicè præstaretur. Licet ergo apertissima iniquitas, denegans, quod ipsa æquissima iura naturæ, etiam damnatissimis omnium hominum, etiam in notorio crimine benignè concedunt, incircumsusæ multitudinis conspectu erubuit; tamen nihilominus denegauit.]

*Iusti nimium ne sunt, seueritatem benignitate,
(quantum licuerit,) condiunto.*

§09. Non debent censores esse nimium iusti in configendis aliorum defectibus. Qui enim hoc faciunt, eradicant cum tribulis simul & triticum, & cum spinis spinas quoque incendunt, quod legislator *Exodi 22.* prohibuit, & ad librorum censores egregiè translaturum est à S. Cyrillo *lib. 7. de adorat. in ipso sine*, verbis illis: [An non hæreticorum scripta, & Græcanicorum dogmatum præstigia, meritò comparentur spinis, in montibus, & agris nascentibus? Quænam inde humanis animis vtilitas prouenit? Imò potiùs quale non damnum, iis qui ad ea animum adiiciunt? Ignis itaque solius pabulum est, spina. Accendunt autem etiam nobis ignem in æternum vana errantium dogmata, & aniles idololatrarum fabulæ. Spica autem, & frumentum suauissimus cibus, quo homines vescuntur, necessariæque ad vsum; vitam enim sustentant. Typus autem sunt veritatis dogmatum, per quæ credentes, veluti pane viuente, nutrimur, ac vero Christo. Est autem Scriptura sacra, iis qui rectè ambulare in ea norunt, tanquam planus quidam, & apertus campus; omnia enim conspicua accedentibus secundum Scripturam, & recta inuenientibus notitiam. Quocirca spina, impura, ac profana est eorum, qui peruersi, ac deprauati sunt, dicacitas: frumentum autem, & spica veritatis animam iuuans, atque nutriens, planus autem campus,

campus, Scriptura sacra. Quando igitur veluti flamma, atque ignis hæreticorum diuersa sententiarum, & Græcorum præstigias sanctorum Doctorum sermones inuaserint, veritatis dogmatibus patrociantes, per solas, (inquit,) spinas incedant, & tanquam inutilem, atque agrestem materiam depascantur; ea nimirum quæ ab iis scripta sunt. Ne verò simul frumentum, & spicam lædant, hoc est, in hoc animi studio incumbant sacrorum mysteriorum Interpretes, ne quid mutilent ex dogmatibus veritatis: aut sciat, (inquit,) is qui securè facere nequiverit, quod si contigerit vnâ cum malis comburi aliquid eorum, quæ necessaria sunt ad utilitatem, negligentia suæ pœnas eum subiturum.]

Quod ergo inter innocentia regulas valdè commendat Ferrandus Diaconus, vt iustitia nimietas caueatur, ne iustitia in oppressionem, & seueritas in crudelitatem degeneret, hic locum habere apud æquos iudices debet. Collaudat ex hoc capite Adriani Florentij, qui postea summus Pontifex fuit, facilitatem, & sapientiam, Ludouicus Vines *lib. 5. de tradendis disciplinis, ferè in fine*, quod cum Louaniensis Academia Decanum ageret, omnia quorumuis Catholicorum dicta, quantum fas esset, benigna soleret interpretatione condire, & damnatione abstinere quantum posset, & causa pateretur. 510.

Circa iam conuictos hæreseos, alia ratio est. Nam eorum fraus non finit, vt qua simplicitate Catholicorum dicta agnoscimus sana, similiter cum eis agamus, vt S. Athanas. *orat. 4. contra Arrianos, sub finem*, admonuit, relata quadam propositione Arrianorum. [Hoc, (inquit,) si quis ex Orthodoxis, simpliciter diceret, nihil esset, quod malè suspicareris de hoc dicto, quippè vbi bona mens superaret simpliciorem loquendi modum. Nunc quia hæreticorum ea vox; omniaque hæreticorum verba suspecta sunt, & vt scriptum est, impij insidias tendunt, dictaque impiorum dolosa, etiamsi vel solum innuant, non tamen id faciunt sine peruersitate animi.] De Catholicis, alia, (vt dixi,) est ratio. Nam quoad eos, valere debet regula iuris in 6. [Cum sunt partium iura obscura, reo potius fruendum.] Quis enim ferat, vt iudex æquus, pœnam certam, & infamiam claram, pro labe incerta, & probro dubio decernat? Sanè ita se gerere, esset nimium iustum esse, quod diuina sapientia vetat.

Esset porro iniustitia nimia, nec seueritas modò, sed & crudelitas, damnare, non conuictum; & errorem cuius liber, & auctor reuictus non sit, ei asingere. Sanctus Basilius *epist. 77.* alloquens Sanctum Damasum, & Episcopos transmarinos, id grauissimè damnat, & in sua causa non omitti, deposcit verbis illis. [Hoc tantum oramus, vt si quos admiseritis, qui nos traducant, ac vituperent, in conspectum nostrum coram vestra pietate constituentur; nos enim si conuincamur, peccatum nostrum agnoscemus, & vobis post eam reprehensionem à Domino non imputabitur, si communionem nostram tanquam peccatorum declinaueritis: deinde & præmium habebitis, si nos reprehenderitis, vt qui oculam nostram malitiam patefeceritis. Si verò antequam conuincamur, nos condemnaueritis, nos quidem nihil inde dispendij accipiemus: propterea quòd omnium pretiosissimum bonum nostrum, (charitas videlicet qua erga vos perdiri sumus, lædi nequit; vos autem, & hoc ipsum nobis amissis patiemini, & Euangelio repugnare videbimini, dicenti: *Num lex nostra indicat hominem, nisi primum audierit, cognoueritque quid faciat?* Qui verò

calumnias nobis quidem offundit, non autem quæ dicit probat, profectò videbitur sibi ipsi mali nominis accersere appellationem, ex eo quòd verbis iniquè, & absurdè vtitur. Quo namque alio nomine, delatorem vocare conuenit, quàm ea appellatione, quam ex re ipsa, cui studet, sibi ipse imponit? Neque igitur qui nos vituperat Diabolus sit, sed accusator; imò neque accusatoris nomen accipiat, sed frater sit, in dilectione nos admonens, & ad emendationem, reprehensionem nostri inducens. Nec vos auditores sitis conuictorum, sed redargutionum probatores, & examinatores; neque nos sine remedio relinquamur, nondum patefacto nobis quid deliquerimus.]

*In alienis dictis, ne tricantor, anfractus ad nocendum
dimittunto.*

§ 12. Sunt quibus autor exosus est, eumque siue benè, siue malè scripserit, volunt videri lapsum. Itaque in plano quærent salebras, nec modò si aliquid vlcerosum, aut morbosum appareat, accurrunt illicò velut muscæ ad vlcus, aut tubet, vt de Iudæis obseruauit Iustinus in *Dialogo cum Tryphone*, & de quibusuis inuidis S. Basilius *hom. de inuidia*; sed etiam cum nihil occurrat, quod rem rationabiliter attendendo, damnationem mereatur, ita obtorquent, & ad extraneos, ac inauditos sensus inuertunt sententiam quampiam, vt criminationi, & damnationi iustæ patere aliqua tandem ratione videatur; & quod ab hæreticis erga Ecclesiam seruari, notauit S. Gregorius VI. *mor. c. 17.* omne rectum, ad vitium tortitudinis inflectunt. Verbis catholicis, sensum pessimum substernebat Agapius apud Photium *cod. 179.* Quòd ille ex asturia in scriptis suis, vt virum suum tegetet; hoc in aliorum libris subdolè efficiunt alij, vt illos suffigant. Id erga esse seruatum à malignis Gregorius Nyssenus *initio libri de Trinitate*, ita describit. [Visti sunt igitur mihi, qui nulla de causa, nullòve prætextu aduersum nos odium susceperunt, haud diuersum facere ab eo, quod est in *Ælopica fabula*. Nam ille fingit lupum dum puderet eum, nimirum si absque iusta causa videretur occidere eum, à quo nunquam iniuria laceffitus esset, crimina quædam obicere Agnello, atque illo omnem facilè calumniosè illatam criminationem diluente, nihilo magis impetum remittere lupinum; sed iure quidem vincit, dentibus verò superare. Itidem illi qui odium nostri quasi aliquam bonam rem expetierunt. Erubescunt enim fortassè, si absque causa odisse videantur, causas aduersum nos, & crimina fingunt, nec in vllis suis dictis vsquequaque manent, sed nunc hoc, mox illud, rursus aliud, inimicitiarum aduersum nos causam esse dicunt, vt nusquam firmiter consistit eorum malitia: sed cum ab vno aliquo crimine repulsi fuerint, alteri adhærent, & ab illo rursus aliud arripiunt; etsi omnia crimina dissoluta fuerint, odisse non desistunt.]

§ 13. Eadem habentur apud Basilium *opist. 80.* Faciunt huc illa sancti Hilarij *lib. 2. de Trinit.* [Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis, potius quàm imponat; & retulerit magis, quàm attulerit, neque cogat id videri, dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.] Nec illa prætereunda ex *lib. 2. eiusdem operis.* [De intelligentia, hæresis non de Scriptura est: & sensus, non sermo, sit crimen.] Nulla enim sunt verba adeò clara, & expedita, quin eis possit sensus falsus, & hæreticus inædificari. Itaque

que cum plana & clara est mens auctoris, ut quid putorem subodorari in sana, & incorrupta materia velis? Hoc est tritari, & artificiosè malignum esse, quæ est duplex iniquitas, indigna Christiano peccatore, & multo magis Christiano iudice. Hæc à nobis gratis non confingi, quotidiana exempla abundè confirmant. Sed omittamus sanè illud antiquum de opere Marcelli Ancyran, quod Baro, anno 336. num. 5. prodidit, nempe damnatum fuisse, quod per obtrusionem æquè ridiculam, ac malignam, quæ auctor quærendo proposuerat, ut ex eius mente asserta, essent accepta.

Exemplum illustre est, quod de libro exercitiorum spiritualium sancti Ignacij scriptis prodidit Nicolaus Orlandinus lib. 13. histor. à num. 33. Probauerat præmissa seria, & matura per eruditos Præsules discussione, eum librum Paulus II. Summus Pontifex, anno 1548. confecto in eam rem diplomate, cuius est initium, *Pastoralis officij cura*. Eo rescripto Pontifex, quanta accuratio-
514.
ne libellus ille iussu suo discussus esset, testatum facit; quantos etiam fructus, usurpata eius doctrina, & precandi ratio intulisset in Ecclesiam, non tacet. Commendat insuper Apostolica autoritate eum librum, & ut ex eo tanquam sanctitate, & pietate pleno, exerceantur fideles, cupidè hortatur. Inuenti nihilominus sunt, qui multis post annis, nimirum anno 1553. eum librum non aliararent modò, sed & morderent, Thomas quidam Pedrouius, alienæ ea in re voluntatis administrator, & Melchior Canus, cuius sugillationes, & obelos, cum Paschali Mantio Ord. Prædicatorum, Complutensi Theologo primario, exhibuisset Ioannes Siliceus Præsul Toletanus, qui librum illum cupiebat ab eo improbari, responsum retulit, nihil esse in sic dispuncto libro damnatione dignum, præter Cani dispunctiones, & sugillationes, ut ad illum annum recitat Orlandinus, addito pergravi Bartholomæi Torres, postea Canariensis Præsulis elogio eorundem exercitiorum. Obsecro, si in libro à tot censoribus tanta diligentia, & cura discussus, & quod caput est, Apostolica autoritate communito, cuius omnes apices spirare sanctitatem, quotidianus piorum omni doctrinæ genere exculitissimorum sensus testatur, homines malevolentia felle suffusi, tritando, & obtorquendo quæ simpliciter dicta erant, potuerunt inuenire, quæ sugillare, & configere se posse existimarent; quis liber erit adeò nitens, & sanus, ut per maleuolorum censorum obfirmatam nocendi voluntatem, & tritandi pruriginem, vocari non possit in inuidiam, & auctor aspergi infamia?

Michaëlis Rabardæi opusculum aduersus Opratum Gallum, damnatum est propter multas & manifestas hæreses, ut erat in syngrapha criminatoria, inimici simul & vltoris, qui quamuis calamum contra Sedem Apostolicam strinxisset, quod tamen contra Rabardæum ageret, à testimonio non est repulsus. Earum multarum & manifestarum hæresum, quæ terribilissima, & censoribus immedicabilis vila est, ea fuit, quòd sub libri finem dubitasset Rabardæus, an Salomon esset Scriptor Canonicus, ut collegere censes ex illis Rabardæi verbis, *Salomon opinor, Scriptor Canonicus*. Vir doctissimus, quod absque stupore non refero, hoc censorum iudicium firmavit; & cum instarem, eum modum loquendi, esse potius maximè asseuerantis, surdo cecini. Hac sanè ratione S. Paulus cum dixit, *Puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam*, dicendus esset dubitasse, an Christus in eo loqueretur. Nec dissimiliter qui diceret, *Sole*

lucere, opinor dies est, censendus esset dubitare an dies sit lucente Sole, cum tamen ea loquendi ratio, potius ferat firmitatem assertionis. Itaque sit hoc quoque exemplum iritationis in censendo. Nam quicquid sit de aliis capitibus ob quæ liber ille & accusationi & damnationi patere potuerit, (qua de re meum non est agere,) ex eo tamen capite quod Autor opinari se dixisset, Salomonem esse scriptorem Canonicum, innoxius fuit; nec nisi tritando accusari potuit.

515. Sed ut appareat quantoperè progredi possit, ni coërceatur hæc librorum à Catholicis Scriptoribus editorum in vanos sensus distractio, ut à sana doctrina alieni, & damnabiles appareant; placet non omittere paradigma huiusmodi ineptarum censurarum, in quo condendo ingenium his ipsis diebus exercuit vir eruditissimus, & Catholicissimus. Monstrauit enim eadem configendi, & circa Catholicorum scripta tritando licentia, fas fore Symbolum ipsum Apostolorum, fidei nostræ regulam configere. Notauerat ille quidem, ad cuiusvis articuli censuram, in margine, loca varia censurarum similium aduersus libros scriptorum Catholicorum inflictarum, ad quarum ipse ad amissum Articuli Symboli censuram conformasset: sed quod libri illi non sint ad manum, & perierit memoria eorum cum sonitu, non est, quod ἀλλυθίζω illam adscribamus. Censura Symboli ad instar pruriginosarum illarum censurarum confecta, sic habet.

Censura Symboli Apostolorum ad instar nuperrimæ censura quarundam propositionum.

ARTICVLVS I.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem celi, & terræ.

516. **P**rimus iste articulus, si intelligatur quasi solus Pater sit Deus, & omnipotens, & creator; Filius autem, & Spiritus sanctus solùm creaturæ sint; ideoque nec Filius verè, ac substantialiter dici possit Deus, & omnipotens, & creator; similiterque Spiritus sanctus; propositio est impia, blasphema, indiuiduæ Trinitatis destructiua, & pridem in sacro & OEcumenico Nicæno Concilio trecentorum decem & octo Episcoporum, aduersus Arii impietatem, damnata. Quatenus autem soli Patri creationem attribuit, noua est, temeraria, erronea, contra communem Ecclesiæ, Patrum, ac Theologorum omnium sensum probata; cum hætenus receptum sit tanquam inuiolabile decretum, omnes Trinitatis actiones ad extra, esse indiuisibiliter toti Trinitati communes.

ARTICVLVS

ARTICVLVS II.

*Et in Iesum Christum, Filium eius unicum,
Dominum nostrum.*

Tota hæc propositio captiosa est, & fallax. Primò in quantum omittit, Iesum Christum, Filium esse naturalem, & consubstantialem Patri. Sic enim periculosa est, & doctrinam inducit hæreticam, sæpiùs ab Ecclesia in Conciliis Niceno, Ephesino, & Francofordienfi, præfente Carolo Magno damnatam. Secundò ratione particulæ *unicum*, omiffa præsertim voce *consubstantialis*, aut *naturalis*. Sic enim quatenus propositio etiam extenditur ad filios adoptiuos, de quibus ipse Dominus *Pfalm. 81. ait. Ego dixi, Filij estis, & filij Excelsi omnes.* & Apostolus ad Rom. 8. *Qui unque Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei, Et si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi,* falsa est, piarum aurium offensiuæ, & iustis omnibus, ac Sanctis iniuriosa. Tertio quatenus *esse Dominum*, quod indiuisa proprietate tribus diuinis personis æqualiter conuenit, soli filio attribuit; obliquè insinuans vnicam esse diuinam personam, quæ modò Patris, modò Filij, modò Spiritus sancti appellatione significetur. Hoc iam pridem aduersùs Sabellium, vniuersa Ecclesia, taaquam impium, atque hæreticum damnauit. 517.

ARTICVLVS III.

*Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex
MARIA virgine.*

Tota hæc propositio æquiocatione laborat, quæ inducere potest in hæresim, propter ambiguas particulas *de*, & *ex*. Et quia ordinariè *de* habitudinem importat principij componentis; iuxta quam innuitur Dominum nostrum de substantia Spiritus sancti factum esse, & ita Spiritum sanctum verè dici posse Patrem Christi; ideò propositio in hoc sensu falsa est, scandalosa, hæretica, & diuinarum originum confusionem, atque euersionem inducens. Similiter quoniam tam particula *de*, quàm particula *ex*, consueto more loquendi, habitudinem prioris, & posterioris includit, & eatenus insinuare videtur, Christum posteriorem esse Spiritu sancto, & ante Mariam non fuisse; quod pridem aduersùs Nestorium, tanquam falsum, & hæreticum, damnatum est; ideò propositio hoc sensu intellecta, hæretica est. Denique si ita Christus dicitur natus ex Maria virgine, vt quicquid in Christo est, ex ea natum statuatur, quasi Beata Virgo etiam verè dici possit *Mater diuinitatis*, in hoc sensu propositio falsa, atque hæretica est, & in consequentia, valdè periculosa. 518.

ARTICVLVS

ARTICVLVS IV.

*Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus,
& sepultus.*

- §19. Hæc propositio ambigua est, & aliquo sensu hæretica. Nam cum propriè in cæteris rebus, actiones, & passiones sint suppositorum, vt etiam naturæ cuius propria est hypostasis, attribuantur; & ob hanc causam mortua, vel abscissa manu, non rectè propterea homo mortuus dicatur, nisi ipsa natura humana dissoluatur; idèd periculosa est propositio, & iuxta obuium illum sensum intellecta, quasi diuinitas aliquid passa, aut mortua fuerit; non solùm hæretica est, sed etiam impia, & blasphemata.

ARTICVLVS V.

Descendit ad Inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

- §20. In hac propositione, quatenus verbum *descendit* relatum ad personam Christi, insinuare videtur, ipsam quoque diuinitatem ad Inferos descendisse, cum tamen diuinitas propter immensitatem vbique existens, moueri non possit à loco in locum, ac proinde non ascendere in cælum, nec ad Inferos descendere; ideo periculosa est, & inducere potest in errorem. Intellecta verò de Anima Christi, si sensus etiam sit, animam Christi ad pœnas Inferni descendisse, & eas re ipsa sustinuisse, propositio est hæretica, scandalosa, piarum aurium offensiuua, & ex Caluini doctrina *lib. 2. Instit. cap. 16. §. 10.* desumpta.

ARTICVLVS VI.

*Ascendit ad celos, sedet ad dexteram Dei
Patris omnipotentis.*

- §21. Ista quoque propositio, intellecta de Ascensione Christi in cælum, secundùm diuinitatem, perinde, ac superior, falsa, & erronea est. Quatenus autem asserit, Christum sedere, & indefinitè, ac proinde etiam vniuersaliter, id pro omni tempore statuere videtur: idèd si ita intelligatur, Christum semper sedere, vt neque ster vnquam, neque etiam aliquando de loco in locum moueatur, cum & *Actor 7. 55.* Stephanus stantem eum in cælo viderit, & Ioannes in *Apocal. cap. 14. vers. 4.* de virginibus dicat, eas Agnum perpetuè

perpetuò sequi quocumque ipse ierit; propositio sic intellecta, temeraria est, & expressio Dei verbo contraria. Denique in quantum hæc eadem propositio, Deo Patri etiam dexteram attribuit, Anthropomorphitarum hæresim redolet, & in eorum errorem iaducit.

ARTICVLVS VII.

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ista propositio, quatenus ita asserit Christum iudicaturum esse viuos & mortuos, vt negare videatur Patrem, & Spiritum sanctum esse iudicatos, cum hæc actio supremæ, atque aded diuinæ autoritatis sit, eaque externa, ac proinde toti Trinitati communis. Ideoque propositio, hac ratione ad solam personam Christi, multoque magis ad solam eius naturam humanam limitata, falsa, temeraria, & erronea est. Quatenus autem eadem quoque propositio asserit Christum iudicaturum esse, non solum mortuos, sed etiam viuos, ambigua est, & fallax. Vnde si sensus est quosdam homines non esse morituros, eosque non prius vita defunctos ad iudicium esse perducendos, propositio noua est, temeraria, falsa, & erronea, necnon verbo Dei, & communi Patrum, tenusque Ecclesiæ sensui contraria. 522.

ARTICVLVS VIII.

Credo in Spiritum sanctum.

Hæc propositio malignè proposita est, & ex affectata breuitate, meritò suspecta haberi potest. Subdolè enim Spiritus sancti diuinitatem, eiusque à Patre & Filio processionem, tacet. Proinde Atrianam hæresim redolet schismati Græcorum obliquè fauet, indiuiduamque Trinitatem dissoluit. Denique tota explicatio diuinæ atque indiuiduæ Trinitatis, octo istis articulis comprehensa, manca, & periculosa est, auertitque fidelem populum à cultu, & reuerentia tribus diuinis personis indiuisè, atque inseparabiliter debita. Et sub prætextu breuitatis, & non necessariæ explanationis, subdolè totum Trinitatis mysterium euertit, cum tamen perfecta eius, & explicita fides, medium sit ad salutem necessarium, vixque tota hæc doctrina excusari potest à dolo, quòd nullam de Filij, & Spiritus sancti diuinitate, aut etiam æternitate mentionem faciat, sed contrarium de Filio in articulo 3. insinuet. 523.

ARTICVLVS IX.

Sanctam Ecclesiam Catholicam; Sanctorum communionem.

Propositio hæc, multiplici periculosa æquiocatione, & affectata obscuritate, errorem regit. Inprimis enim ambiguum, & obscure est, quid sit credere *sanctam Ecclesiam Catholicam*. Et si sensus est, adhibendam esse fidem definitionibus 524.

P P nitionibus

nitionibus Ecclesiæ, cum exclusione definitionum quæ fieri possent à solo eius capite, quasi Papa extra Concilium nihil definire possit, quod sic de fide; propositio est temeraria, scandalosa, & Summo Pontifici vehementer iniuriosa. Deinde dubium est, quo sensu Ecclesiam dicat esse *sanctam*. Et si sensus sit, in Ecclesia solos Sanctos, & non multos malos contineri, propositio falsa est, hæretica, & verbo Dei, communique Patrum sensui contraria. Eodémque modo reiiciendum est, quod de Sanctorum communione adiungitur, si inter solos Sanctos bonorum spiritualium communio admittatur, in eum fide certum sit, omnes qui in Ecclesia sunt, tam bonos, quam malos, in bonorum spiritualium saltem aliquorum participatione vniri. Ac si per *communione Sanctorum*, non tantum bonorum spiritualium, sed quorumcunque etiam aliorum communio intelligeretur, propositio esset absurda, à fide, & recta ratione aliena, & Anabaptistarum confusionem induceret.

ARTICVLVS X.

Remissionem peccatorum.

- § 25. Ista quoque propositio, sub his generalibus terminis concepta, vel falsa, vel periculosa est. Intellecta enim de perfecta, & absoluta peccatorum omnium, etiam eorum, quæ quotidie committimus, remissione, iam à Christo facta, & nobis semel in Baptismo applicata, hoc sensu hæretica est, & Sacramenti Pœnitentiæ destructiua.

ARTICVLVS XI.

Carnis resurrectionem.

- § 26. Si intelligatur de resurrectione quasi iam facta, ita vt amplius non sit futura; propositio hæretica est; iam olim ab Hymenæo, & Phileto asserta, & ab ipso Apostolo Paulo 2. ad *Timoth.* 2. v. 18. damnata. Intellecta verò de resurrectione futura, sed de carne animali, hoc est, quæ iisdem animalibus, desideriis, operationibus, ac necessitatibus subiecta sit. propositio falsa atque erronea est, & Mahometis impietatem sapit, contra expressam Verbi diuini auctoritatem 1. *Cerinth.* 15. vers. 42. & sequentibus.

ARTICVLVS XII.

Vitam æternam.

- § 27. Hæc propositio quatenus indefinitè proponitur, atque ita vniuersaliter extenditur ad omnes, excludendo mortem, qua iniusti puniuntur, falsa, scandalosa, & hæretica est, ianuamque vitiis omnibus aperit, & Deistarum huius temporis impietatem, atque insaniam sapit.
Compellat in fine, censor symboli, lectorem suum in hæc verba. [Hoc debes censuræ, (Christiane lector,) quod possis certissimos Symboli articulos diuina;

diuinæ fidei regulas, in prauos, & hæreticos sensus facilè detorquere. Eâdem enim methodo, iisdem sententiis, imò etiam vtplurimum verbis, propositiones Apostolicas, temeritatis, erroris, & hæresis damnauimus, quibus noui censores Catholicorum librorum pronunciata confixerunt. Quòd si in ista Symboli censura, non probas, talium censorum senatui ne subscribito. Vale.]
Hactenus ille.

Non existimo posse conuenientiùs, ac fortiùs impugnari eam tricandi circa alienos libros pruriginem, & per anfractus, ac obtortiones verborum auctoris, ad iustæ censuræ aliquam speciem perueniendi sollicitudinem, quàm monstrando, (vt hactenus fecimus,) nihil esse adedè innoxium, & labis expers, quin ea agendi, & damnandi malignitate, notari, & configi possit. Non me later, nuper Petrum Aurelium in hac scriptionem vomuisse pleraque virulenta, quasi id sit illudere verbo Dei. Sed hæc est planè friuola criminatio; huiusmodi enim ad hominem recriminationes à vitis piis in non dissimili materia sunt adhibita. Sic cum Lutherani scripturis ad suas nugas aptatis luderent, Cocherus in actis Lutheri anno 1527. se librum ex Scripturis malè confertis confarcinasse testatur, ad probandum, quòd Christus non sit Deus; additque anno 1528. se item simili arte ac scopo, scripsisse de obedientia Diabolo debita à Deo, & de B. Virginis integritate violata. Vnde liquere volebat, nihil esse adedè sanctum, ad quod impugnandum non possent obtorqueri Scripturæ. Similiter ergo Auctor censuræ Symboli Apostolorum, noluit eam fidei regulam conuellere: sed monstrare, quo possit progredi malignitas ineptiens. Eâdem quippè malignitate, quâ Symbolum Apostolorum ineptissimè, vt per se liquet, criminationi, patere posse vidimus, vniuersum Scripturarum corpus vocari in inuidiam posse, certum est. Pugnantis in speciem variis Scripturæ locis, libros duos impleuit Iulianus Toletanus, monstrans non pugnare re ipsa. Quid verò faciùs fuerit, adhibita ea iudicij peruersitate, quam impugnamus, quàm vnum ex libris, quo alteruter locus cum alio se collidere visus continetur, improbare, atque damnare? Quare meritò concluditur, æquum censorem, illa anfractuum ad nocendam, & damnandum captatione, seriò abstenturum, nec tricis in censendo de alienis operibus daturum operam.

528.

*De scriptoris mente, non ex plagulis detruncatis, sed ex textura
scriptionis, pronuncianto.*

Fixit hunc canonem S. Eulogius Alexandrinus lib. contra Seuerianos, & Trithemias, referente Photio cod. 225. initio, cuius orationem, quòd aliquid fortius, & potentius despondeam, placet adscribere. Sic enim de Eulogio Photius. [Constituit legem, & canonem, scripta diiudicate non oportere ex parte: neque fragmenta quædam sumendo, ex his de tota scriptoris mente iudicium ferendum. Hoc enim Propheta execratur: *Va Prophetis, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.* Hanc legem, ac regulam, & Patrum nostrorum decreta confirmant. Etenim Eustathius Antiochenus Episcopus, sex aduersus Arrianos libris, his verbis scribit. Sed Arrianæ scenæ sectatores peccatum fecisse Christum iactant. Et post non longè. Illud, *Deum in Christo mundum sibi conciliasse,* neque memoria tenent, nec linguæ organo conferunt. Sed veluti graues calum-

529.

niatores, & accusatores locum labefactantes, accusationis certamen instituunt. Deinde, & legis decretum. Oportet verò veritatis studio legitime certantes, omnia abundè accipientes offerre. Sic Diuinus Basilius, ad hunc modum Sozopolitis scribens. Non recens opinionis hæc impietas, sed & olim ab absurdo infano Valentino inchoata, qui pauca Apostoli verba contrahens, impium sibi figmentum præparauit. Vt hæretici amentes solent partem aliquam Scripturæ arripere, & hanc deprauare; propter hanc cætera condemnate, & ab sacrarum lectionum calumniis, & diuisionibus, impium dogma constare. Sic & Apostolorum Princeps ab impiis accusatus est. *Vt diuideret Emanuelem, (inquit,) Iesum Nazarenum quomodo vnixerit ipsum Deus sancto Spiritu, & virtute, qui venit benefacturus, & liberans omnes tyrannide oppressos Diaboli, quia Deus erat cum eo.* Et profectò Paulum Orbem terrarum pietatis præconio percurrentem, similibus iniuriis, & calumniis perstringit; in quibus concionatus Atheniensibus locutus est. *Annunciat hominibus, vt omnes obique penitentiam agant, eo quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in aequitate, & viro, in quo statuit fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* De quibus iterum ad Hebræos scribens ait. *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte.* Et princeps calumniator igitur proprii furti, & lacerationis iudicem seipsam constituens; non vt hominem dicentium supremum Dominum nostrum Iesum Christum cognosceret præcones ipsius. Sed non sic veritatis amicus. Et prædictis adiungens quæ ex alia parte de Salvatore à pietatis præcone denunciata sunt, extra omnem iniuriam pietatis magistros ostendit, & illud adiungit; *Patres ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus in secula, Amen.* Certè, & illud, *qui cum sit splendens gloria, & figura substantia eius, portansque omnia verbo virtutis suæ.* Hæcque primis accommodans, & Nestorium impium in his accusabit, & pietatem clariorem reddet. Et sic rursus diuinus Basilius, fieri de orationibus iudicium suadet, quibus ad Monachos ambigè dicta perscribit, & obscure dicta in aliquot sacre Scripturæ locis visa, vt alia clarè dicta loca ostendunt. Non oportere per aliquot fragmenta & diuisiones, scriptoris pietatem iudicare. Ad eò clarum radium emittit veritas, vt Seuerum in his cæcutientem, & tamen consensum suasse, scribit ad Iulianum Halicarnasseum. Oportet igitur præceptiones sanctorum sanctæ Ecclesiæ Doctorum, per occasionem perfectè legere, & de toto sensu non periculosè coniectare. Hoc in Apostolicis, atque Euangelicis scriptis, atque ad eò in omni diuinitus inspirata Scriptura seruandum est, quando non in vna voce, scilicet epistolæ, vel operis collocanda est scriptoris pietas. Sic & veri canonis fulgur, Seuerum cæcum proprio fulgore tamen frui sinit. sed inexpugnabile legis robur cognoscere licuit; vti verò consueta sententia neglexit. Piæ enim memoriæ Beati Leonis librum, non lege quam prædicauit, sed contraria expendens lingua, & per fragmenta quædam, & perniciosis sermonibus præfando, visus est de pietate piè scribere: ipse reus verè existens, eorum quæ aliis obiiicere ausus est. *Quis enim alius acutiùs telum in Nestorium impium torfit, quàm voce robusta Leo? Imparibilis Deus dignatus est homo fieri, & immortalis mortis parere legibus. Hæc sycophanta prætermittit; alia verò quædam dicta refecans, ad suum dogma rapit.]*

§30.

Non soli SS. Basilius, & Eulogius, de ea peruersitate calumniandi scripta aliena,

aliena, ex truncatis, & à reliquo scriptionis corpore auulsis laciniis, exposu-
larunt. Eadem aliorum quoque Patrum vox fuit. Origenes lib. 2. contra Cel-
sum, tractans locum ex *Matth. 26.* deprauatum à Celso Epicureo, sic habet.
Euangelicum dictum inculando deprauat, quasi tragediam agat; & illa op-
ponit, quæ minùs conscripta sunt. Non enim vsquam repetit, Iesum suum
obitum deplorasse. Corruptit præterea eius dicti, & irridet sententiam.
Pater si possibile est, transeat à me calix iste; hæc tamen illius in partem cum pie-
tatem, tum eius animi magnitudinem profert. Moxque, & illud quod ad
scriptum est adiicit: *Non tamen ut ego volo, sed ut tu,* ne Iesu quidem, ut Pa-
tri placitum erat, ad ea quæ ipse perpessurus iam esset obtemperantiam simu-
lat, hic se perlegisse, quam vtrique cum illud, inquit, significatur. *Si autem
fieri non potest, ut transeat à me calix iste, fiat voluntas tua,* haud secus hic fa-
ciens, atque impij solent, quia peruersè intelligunt quæ literis sacris sunt tra-
dita, & iniustitias in excelsum loquuntur. Id namque, quod loquitur Deus,
ego interficiam, audisse istos sat constat, & nobis quæ sepe obiciunt; at ubi
& *ego viuere faciam,* acceperunt, nihil prorsus de cætero dicti Domini remi-
niscuntur, significantis eos iri à Deo disperditum, quia ad omnem perniciem
vitam hanc ducunt. Et sanè, quia prauè, & nequiter egerint, ab eo perduntur;
quia verò peccato sunt mortui, gloria sempiterna donantur. Sic itaque illi
percutiam illud, intellexerunt, *ego sanabo.* Quod vtrique persimile est vsurpato
Medicorum sermone; qui affecta corpora, atrectando, vulnera quidem fa-
ciunt grauiora, ut ab his & noxia demant, & quæ sanitatem intercipiunt tol-
lunt; cum alioquin dolore medendo afficiant, nec vlcera dirimant, sed cor-
pora curando sanitati restituant, qualem animo iam destinauerant. Sic igitur,
& Celsi Iudæus illud exponens, *Pater transeat à me calix iste,* nihil tamen ex-
plicat, quæ subsequuntur; & Iesu promptitudinem ad passionem confirmant,
vel constantiam præferunt.]

S. Hilarius non multum ab initio libri de Synodis, [Oro vos per Domini
misericordiam, ut quia nihil ad vos de diuinis, ut voluistis, rebus, & de fi-
dei nostræ intemerata conscientia, erit per has litteras sermo, ne quisquam de
me ante sermonis consummationem per litterarum exordia existimet iudican-
dum. Iniquum est enim, nisi comperta vsque ad fidem ratione dictorum, præ-
dicatam sententiam ex initiis, quorum causa adhuc ignoretur, afferre; cum non
de inchoatis ad cognoscendum, sed de absolutis ad cognitionem sit iudican-
dum. Est enim mihi non de vobis, ut Dominus sensui meo conscius est, sed
de quibusdam nimium apud se acutis, & prudentibus, metus: non intelli-
gentibus per Beatum Apostolum sibi ne supersaperent præceptum, quos ve-
reor nolle omnia ea, quorum absolutio à me in consummatione erit præstan-
da, cognosci; dum verum intelligi ex eis quæ absoluentur euiant, sed quis-
quis hæc legenda, & cognoscenda susceperit, modum sibi, atque mihi pa-
tientia fidelis indulgeat, & vsque ad absolutionem vniuersa percen-
seat.]

Cassianus lib. 7. de Incarn. cap. 14. Nestorium insequens, sic habet præ-
ter cætera. [Cum id truncatum poneret, quod integrum scriptum est, non vi-
dit referata sacri voluminis serie, redargui impudens, atque aperum posse
mendacium. O stulta blasphemiae amentia, quæ dum ipsa non videt quid

sequi debeat, etiam illud non sapuit quid legi possit. Quasi verò, quia auferbat sibi intelligentiam, auferre posset omnibus lectionem: aut idèò perdituri omnes ad legendum oculos capitis sui essent, quia ipse iam mentis oculos perdidisset. Audi ergo hæretice, quod furatus es, audi plena, & integra, quæ debilia, ac truncata posuisti.]

532.

Vigilius *lib. 4. contra Eutychem*, pugnans pro sancto Leone, cuius scripta Eutychniani Nestorianismo sordere contendebant, longam aduersarij repulsionem sic concludit, sub libri medium. [Quæ cum ita sint, inhonesto vteris officio; religiosis callidè insidiaris, vt superiora demendo, ac sequentia non addendo, ita media eligas; vt verba sententiis exuens, de eorum nuditate pro arbitrio ludas. Redde igitur suis omnia locis, & propria sententiis indumenta restituas; & noli insidiosis fraudibus calumnias innectere, & quod ad demonstrationem vtrarumque dictum est naturatum, ad dualitatem non referas personarum.]

533.

Optimè, & ad rem præsentem opportunissimè Philippus Abbas *epistola 5.* [Et si aliquid (inquit) in libro inuenitur, quod per se consideratum debet forsitan accusari, potest, (nisi fallor,) consideratis præcedentibus, vel consequentibus excusari. Ad condemnandum quemuis librum, non est prætendenda duarum, vel vnus scrupulositas dictionis, sed consideranda totius series lectionis. Nusquam enim simul omnia possunt dici; & sunt nonnulla quibus singularibus potest meritò contradici, sed cum omnia pariter attenduntur, quæ videbantur respuenda, plerumque præsidio circumiacentium muniuntur.]

Etiam Ethnici, indignitatem, quam exagitamus, intolerandam esse censuerunt. Apuleius enim sub Apologiae finem *pag. 532.* æmulum, & criminatorem suum, eam ob causam sic impugnat. [Totam sodes epistolam, cedo. Si ne omnia inspiciam, à principio ad finem perlegam. Multa sunt, quæ sola prolata, calumniæ possint videri obnoxia. Cuiusvis oratio insimulari potest, si ea, quæ ex prioribus nexa sunt, principio sui defraudentur. Si quædam ex ordine Scriptorum, ad libidinem supprimantur. Si quæ simulationis causa dicta sunt, adseuerantis pronuntiatione potiùs, quàm exprobrantis, legantur.] Itaque mox post prolatam fraudem aduersarij, ob suppressionem nonnullorum in ea Epistola, iis tantùm prolati, quibus grauari videbatur, subdit. [Oro te Maxime, si litteræ itavt partim vocales dicuntur, etiam propriam vocem vsurparent; si verba, itavt Poëtæ aiunt, pinnis apta vulgò volarent; nonne cum primùm epistolam istam Ruffinus mala fide exceperit, pauca legeret, multa, & meliora sciens reticeret, nonne tunc ceteræ literæ, scelestè se detineri proclamassent? Verba suppressa de Ruffini manibus foras euolassent? Totum forum tumultu complessent, se quoque à Pudentilla Missas, sibi etiam quæ dicerent mandata? Improbo, ac nefario homini, per alienas literas falsum facere tentanti, ne auscultarent, sibi potiùs audirent; Apuleium magicæ non accusante à Pudentilla, sed accusante Ruffino ablutum.]

De alienis

De alienis sententiis, ne ex gustu suo, aut suorum, censento. Probabilitatem doctrina à qua ipsimet abhorreant, agnoscunt.

Sunt quædam aded angusta pectora, ut quicquid extra sententias, quibus se addixerint, audire contigerit, improbandum putent. Duobus omninò modis id accidere, deprehensum est. Nam vel gentilitium, (ut sic dicam,) vitium est, quia scilicet totus cœtus, vel natio, vnam aliquam sententiam probat: vel certè peculiare, & priuatum; nimirum, quia ita ipsimet censori iam pridem visum.

535.

De labe priore, sapienter omninò statuit Alphonsus de Castro *lib. 1. contra hæres. cap. 7. ferè initio*, verbis illis. [Sunt plerique qui sic afficiuntur aliquorum hominum scripturis, ut si fortè quempiam viderint, qui vel digito transuerso, ab eorum sententia discedat, (oculatus testis loquor,) hæresim statim inclament.] Et paulo post, allegato S. Augustini loco ex *epistola 19.* quo proficitur, sua se scripta agnosci velle, tanquam ab homine scripta, subdit Castro. [Quare, (fateor,) me non posse cohibere iracundiam, quoties video aliquos ita addictos hominum aliquorum scriptis, ut impium autument, si vel in modica re quis ab eius sententia discedat. Volunt enim hominum scripta, velut Diuorum oracula recipi; illumque honorem illis exhiberi, qui solis sacris literis deberetur. Non enim iuramus in verba hominis, sed in verba Dei. Ego enim miserrimam hanc dicerem seruitutem, sic esse humanæ sententiæ addictum, ut non liceat vllò modo illi repugnare. Qualem patiuntur ij, qui se tantum Beati Thomæ, aut Scoti, aut Ochami dictis subiiciunt, ut ab eorum placitis, in quæ iurasse videntur, nomina sortiantur, quidam *Thomista*, alij *Scotista*, alij *Ochamista* appellati. Paulus quidem iussit, captiuare intellectum nostrum, sed in obsequium Christi, non autem in obsequium hominis. Quo fit, ut hi, qui tam leuiter de hæresi pronunciant, non expendent de qua re loquantur, sæpè suâ ipsorum feriantur sagittâ, incidantque in eam foueam, quam alij parabant. Nam velle humanas scripturas in diuinarum ordinem connumerare, hoc veriùs dixerim hæresim: quod faciunt hi, qui humanis scriptis dissentire, impium autument, perinde ac diuinis. Quales ego vidi in tantam insaniam deuenisse, ut non sint veriti ad populum in publica Concione hoc effundere. [Quisquis à doctrina Beati Thomæ discesserit, suspectus de hæresi est censendus.] Sed & Minoritis, quod in verba Scoti iurasse videantur, non parcat Castro, paulo post; & vniuersim toto illo capite, monstrat fallacissimam esse rubricam, qua damnatur sententia aliqua, tantum, quia est contra aliquem Doctorem quisquis tandem sit ille.

Præuenerat Alphonso Ochamus *tract. de Corp. Christi c. 36.* verbis illis: [Detestanda est aliquorū modernorū præsumptio, qui se supra se extollentes, cupientes soli vocari Rabbi, omnè opinionè a suis dogmatibus dissentientem, agitati inuidia damnantes, quia per rationem nesciunt improbare, tanquam periculosam, & hæreticam, caninis latratibus lacerant incessanter.] Item Ioannes Maior multus est in refellendo sensu quorundam, qui quod Sancti Thomæ doctrinam, (ut loquebantur,)

536.

loquebantur,) canonizatam esse contenderent, iis elogiis, quibus à summis Pontificibus est exornata; tantumnon habebat pro erronea, vel etiam hæretica, doctrinam quamcunque ab ea discrepantem. Versat eandem cum Maiore molam, Dermicius Thadaeus in *Nitela Francisc.* à pag. 35. Prudentiores inter patricias familias, in quibus hic æstus viget, quantoperè hanc ingeniorum seruitutem, & mancipationem ad aliena sensa improbarent, non dissimularunt: Canus præsertim 7. de locis cap. 8. & lib. 8. c. 4. & lib. 9. c. 7. ac lib. 10. c. 5. & lib. 12. cap. 4. subscribit Bannes 1. p. q. 1. art. 8. Dixi in hanc rem nonnulla, tractans quid censendum de libris refertis noua doctrina.

537.

Aiebam esse alios adedè ieiunæ mentis, tantæque cordis inopia laborantes, vt nihil existiment probabile, nisi quod ipsimet tradiderint, aut probabile esse fuerint persuasi. In huius genij hominem quandoque incidi, qui cum in illustri Academia, diu multumque res theologicas in scholis versasset, nec aliquid tamen extra Neotericum quempiam legisset, adedè nihilominus tenax erat sensus sui, vt quicquid non tradidisset, duceret improbabile: censurarum autem etiam extremarum, quibus aliquid, vel erroris, vel hæreseos notatur, esset liberalissimus. Argumento sit, quod cum eo loco, quo ipse studiis præerat, veteranus Professor tractans 2. 2. docuisset, non esse ex fide certum, Sanctos, qui ab Ecclesia in cœlitum numerum referuntur, reuera Sanctos esse; Aristarchus ille ineptus, & in superlatiuo gradu ridiculus, eam sententiam, quæ Sancti Thomæ, & omnium retrò antiquorum fuerat, & vt hominis immemoriæ vellicemus, tradita diserte est à Suaresio, qui illi pro numine theologico, & cortina doctrinæ semper fuit 2. 2. tract. 1. disp. 5. sect. 8. num. 8. tanquam suspectam erroris, & hæresi proximam explodere, ac latebris damnate conatus est. Qua ignorantia, (ni malis simplicitate,) vix video quid damnosius, quidve eam personam dedecentius proferri queat. Præsertim, quia bonus hic Gamaliel, cum aliquando manus conferere in ea causa voluisset, adedè languidè, ne dicam miserè rem egit, vt appareret aliud esse de alienis sententiis ex gæstu tantum suo pronunciare, aliud solidè, & validè contrarium euincere. Eiusdem genij videtur fuisse vnus quispiam censor, qui ex priuata persuasione ante annos aliquot Emanuelem Sa, plusquam centum confossum plagis, Deiphobum, exhibuit in Aphorismis Confessoriorum. Henricum verò Summæ Moralis authorem, planè proscripsit; quamuis vtriusque sententiæ, à censore confixa, essent multorum, & veterum, & recentiorum, haberenturque planè probabiles. Itaque Hispanica, & Lusitanica Inquisitio, Henricum planè habuit pro nitente, ac puro. In Emanuele autem, duo expungi voluit: vnum de absolutione per litteras, quod post eius obitum à Clemente VIII. fuerat definitum; alterum, quod ad Sacramentum Vnctionis pertinebat, cuius materiam omninò voluit esse ab Episcopo benedictam, contra quam senserat Manuel. In omnibus aliis nihil fuisse, quod censuram mereretur, pronunciatum est ab vtraque illa generali Inquisitione, de sententia tot Academiæ.

538.

Quare prudens censor, qui nolit alienæ censuræ plarium, & peritorum patere, agnoscat probabilitatem sententiarum, quæ verè sunt probabiles; nec eam, vel ex suorum, vel ex suo proprio sensu metiatur. Ac proinde ne sit vnus & alterius quantumuis grauis autoris lectione contentus; sed varios, ac si fieri possit, eruditos omnes scriptores, peruoluet; priusquam de puncto quopiam
durius

durius aliquid statuat : memineritque probabile aliquid esse re vera posse, quamuis nobis iuxta nostra principia, & præconceptiones videatur falsum. At nullum est peruersius iudicium, quam quod ex præconceptionibus fertur, iuxta illud Ennodij in *Apologetico*. [Quisquam ne, causarum ex præcognitione sancit euentum, & rabidis terminum positura conflictibus sic metitur, ut pernix decisio, dum inquisitione esse senior innotescit, fauorem censentis accuset?]

*Nihil non intimè, ac penitissimè per ipsosmet
peruasum, configunt.*

Miserabile omninò, ac miserandum est iudicium, quod ab eo fertur, qui rem de qua iudicat, non habet perspectam. Scitè Franciscus Picus in *Apolog. 9 4. de Cabala, & magia naturali*; refert quemdam ex iis, qui acrius in ipsius Pici operum censuram excanduerant, præsertimque ad nomen *Cabala* commouebatur, interrogatum, quid verò esset ea Cabala, quam in Pici lucubrationibus adeò exosam haberet, responsum dedisse, fuisse perfidum quemdam, & Diabolicum hominem, qui dictus est *Cabala*; & hunc multa contra Christum scripsisse. Inde sequaces eius, dictos *Cabalistas*. Audin' lamia turres, & pectines Solis? Non ab simili insulsiutate, plerique ea interdum improbant in alienis libris, quæ si rectè intelligerent, approbarent, damnatione certè abstinerent. Quare censor necesse est, ut peruat, quod damnat, nisi posticæ sannæ subiacere, & ludibrium peritis debere velit; imò Deo ipsi, ac æquitati, & iustitiæ inensus sit qui secus faxit.

Ipsi Gentiles, nostris in hac re exemplo esse possent, iuxta illud Clementis Romani *lib. 2. constit. c. 52. aliàs 46*. [Contemplamini, (inquit,) iudicia secularia, quorum potestate videmus trahi parricidas, adulteros, veneficos, sepulchrorum violatores, latrones; hi enim statim ut ab iis, qui reos in iudicio sistunt, quæstiones de eis habitas acceperunt, quærunt ex malefico ipso, an ita se res habeat. Ille verò si ait, non statim mittitur ad supplicium; imò pluribus diebus cum multa deliberatione, ac consultatione, & interiecto velo, inquiritur in eum. Postremò, qui suffragium de capite contra eum locutus est, sublatis manibus solem testatur, innocentem se esse, ac mundum à sanguine hominis illius. Itaque isti quamuis Gentiles, qui neque Deum nouerunt, neque sciunt vindicari à Deo, eos qui innocenter condemnati sunt, tamen cauent.] Idem egregiè firmar S. Basilius *epist. 79*. [Qui rerum, (inquit,) in hoc mundo potiuntur, quando facinorosum aliquem morti sunt adiudicaturi, cortinas obducunt, & expertissimos quoque ad causæ tractationem aduocant, multumque temporis insumunt, nunc legis rigorem contuentes, nunc naturæ communionem suspicientes, multumque ingemiscences, ac iudicandi necessitatem deplorantes; nemini non manifestum faciunt, quod non ex propria libidine, sed ex necessario legis ministerio, condemnationis inferant sententiam.] Ex Platone idem confirmo in *Morali dist. 4. num. 476*. Itaque peruadenda omninò est causa, de qua est pronuntiandum, & eius discussioni, ac introspectioni, diligenter insistendum.

Nec verò peruadere quis censetur, quod aliena duntaxat testificatione com-

Qq. pertum.

peritum habet. Quare necesse est, vt censor, oculus, non auritus sit iudex. Ipse Deus, quod egregie monuit Philo *de confus. ling.* descendit, vt videret, priusquam condemnatione percelleret. [Vt doceamur, moneamurque, ne quis homo de absentibus rebus, & incertis putet se posse certam coniecturam facere; sed potius introspecto negotio diligenter, testis adhibendus est. Quapropter in optimè constituta Republica, lege cautum est, ne quis audita dicat pro testimonio; quia iudicium audicus naturaliter facile est corruptoribus. Apud Moysen quoque inter vetita legitur, *non admittes auditionem vanam.* Vbi non tantum interdicit, ne quis falsum sermonem, aut stultum accipiat auribus; sed docet, quod ad manifestam veritatis perceptionem longè minus, quàm visus, idoneus habeatur auditus, cum sit refertus vanitatibus. Hanc censemus esse causam, cur descendisse Deus dicatur, vt ciuitatem, ac turrim viseret.] Idem *lib. de Officio iudicis*, expendens præceptum legis de purgatione aurium iudicis, [Ne scilicet, (inquit,) iudex rei cuiuspiam aures temerè præbeat, significatur. Qui animum attendit testimonio eorum, qui rem solum auditione acceperint, non prudenter quidem & sana mente, sed temerè, & inconsultò attendit. Siquidem oculi cum in rebus gestis defigantur, eas ipsas res quodammodo contingunt, & subsidio lucis, qua omnia colluuntur, aperiunturque, penitus comprehendunt. Auribus autem, (vt quidam ex veteribus scriptoribus appositè dixit,) minus fidei est adhibendum, quàm oculis: quippè cum rebus non intersint illæ quidem, sed sermonibus, qui sunt rerum interpretes, quique verum dicere non semper solent, in omnes partes rapiuntur. Quapropter quidam ex Græcis legumlatoribus, qui è sacratis legis Mosaicæ tabulis idem ipsum transferebant, præclarè videntur præcipere, ne aures testes adhibeantur; perinde ac si oporteat ea quæ quispiam viderit, certa iudicare, quæ autem audiuerit, incerta.] Effusè substantiandos se propinarunt, annis superioribus iudices quidam, quod ex nuda duorum vagorum, (quorum etiam vnus Religiosi status defector erat,) testificatione, adduci se passi essent, vt libros in oris procul distitis vernacula orarum illarum lingua conscriptos, quorum ne vnâ quidem vocem censes huiusmodi agnoscebant, censuris suis confixos voluissent. In re adhuc propè calente, tempero pluribus.

342. Quare vt hanc de necessariis censori dotibus disputationem concludam, meminerint censes, quàm arduum sit munus iudicare, seque iudicandos non dubitent, & omni virtute muniant pectus, si ritè obire hoc munus volunt. Philo optimè *initio libri de Iudice*, [Absurdum fuerit, eos in culpa hæere, qui iura præscribunt aliis, quandoquidem ab his potissimum, exemplum vitæ perendum est. Sicut enim ignis quæcumque admoventur calefaciens, ipse primum innata sibi vi calet; nix contra, suapte natura frigida, infrigidat & alias sic iudex ipse debet esse plenus iustitia si aliis ius administraturus est, à quo seu fonte promanant fluuenta dulcia legum, & potabilia sitientibus iustitiam. Ad ita demum fiet, si qui ad iudicandum ascendit Tribunal, iudicari se non minus, quàm iudicare cogiter, & vnâ cum potestate, assumat prudentiam, ne decipiat; iustitiam vt suam cuique reddat; fortitudinem ne flectatur precibus, aut misericordia, quo minus animaduertat in conuictos sceleris.]

343. Congruit item huic loco illud Ioannis Sarisberiensis *lib. 5. polycrat. cap. 12.* postquam præmisit de iudicum sacramento, quo alligantur, ritè; & ex iuris, non

non ex affectus proprij, vel alienæ voluntatis amissi, ferre iudicium. [Ipso iure cautum est, vt sacrorum Euangeliorum Scripturæ terribiles, ante sedem iudicalem deponantur, ibique ab initio litium, ad finem vsque permaneant; nec amoueantur, nisi sententia recitata, quo totius Consistorij latitudo, Dei ipsius repleta præsentia, omnibus ad sacrosanctas Scripturas, metum incutiat, & reuerentiam; & ab inquisitione veritatis, omnis iniquitas propulsetur.] Codex SS. Euangeliorum exhibet Christum, quod vel ex illo exemplo constat, quo in factis Conciliis, codex Euangeliorum throno impositus, in media Concilij Basilica statuebatur, vt Christus Concilij Præses agnosceretur. Qui igitur iudicant, meminerint se iudicandos, & præsentem iudicij incorruptissimi super eos intuitum extimescentes, ne statuant oculos suos declinare in terram.

EROTEMA IV.

*Quod alienos libros malè configentium,
peccatum.*

Omninò grauem esse culpam eius, qui alienum librum immeritò configit, intelligi potest ex damnis, quæ inde in libri autorem, & alios redundant.

544.

Ad damnum me restringo, vt tuissam faciam charitatis violationem, quam apertè infert indebita in alienum fœtum grassatio, qualem admitteret, qui in liberos alicuius sæuiret. Neque enim, vt est apud Synesium, aliter erga libros suos quisque afficitur, quàm parentes erga liberos, suntque hi, mentales veluti fœtus. Eam item ob causam me ad damna restrinxi, vt missam facerem ingratitudinem, quæ certè insignis est erga libri scriptorem. Hic enim velut communis quidam Orbis terrarum Magister, (prout Themistium, Constantius de eo agens appellauit, & scriptores Seneca *epist.* 64.) eadem gratitudine, & obseruantia colendus fuerat, qua Magistri à Discipulis coluntur, aut coli debent: quam esse debere longè maximam, & eximiam, ostensum est in tractatione d*obseruantia*. Pro ea autem gratitudine, per ingratitudinem non leuem, configitur, damnaturque. Et quidem, quod acerbius est, sine causa, & pro bonis tot, ac tantis, quæ ab idoneo scriptore manant, vt videre est apud Laurentium Iustinianum in præfatione ad librum suum *de casto connubio Verbi, & Anima*, retribuantur ei mala.

Mala libri confixio, iniuste ledit Autoris famam: hæc ex bono libro, cuiusmodi.

Dimissis ergo his maculis queis confixio iniusta sordet, constat interuenire in eo facto, veram aduersùs libri Autorem iniuriam, contra verum, & proprium ius famæ, quod libri confixione violatur. Nam & ipsa fama directè tollitur, & nigro theta deformatur, proscinditurque: & ne augetur, (quod

545.

Qq. 2

libro

libro bono si indemnus abiisset, præstandum erat,) malignè impeditur. Et la-
bes quidem iniusta famæ autoris, tamdiu durabit, quamdiu memoria confi-
xionis superstes erit; quod plerumque, præsertim apud aliquos, est valdè diu-
turnum. Impeditio autem famæ à bono libro obuenturæ auctori, quantum sit
damnosa, non potest melius deprehendi, quàm si consideremus, quantum
decus, quàmque longævum, auctori obtingat ex libro bono. Graues sanè scri-
ptores, hoc decus tanquam æternum celebrant, cum profani, tum nostri, Pli-
nius lib. 1. epist. 3. in fine, Caninium Ruffum, sic hortatur ad scribendum.
[Quin tu, (tempus enim,) humiles & sordidas curas aliis mandas, & ipse te
in alto isto, pinguique secessu studiis asseris? Hoc sit negotium tuum, hic la-
bor, hæc quies: in his vigilia, in his etiam somnus reponatur: effinge ali-
quid, & excude, quod sit perpetuè tuum. Nam reliqua rerum tuarum, post
te, alium atque alium dominum sortientur. Hoc nunquam tuum desinet esse,
si semel cœperit.] Et lib. 2. epist. 10. sic affatur Octavius. [Habe ante oculos
mortalitatem, à qua asserere te, hoc vno monumento potes. Nam cætera
fragilia, & caduca, non minus quàm ipsi homines occidunt, desinunt-
que.]

Martialis lib. 10. Epigram. 2.

Lector; opes nostra, quas cum mihi Roma dedisset,

Nihil tibi quod demus, maius habemus, ait.

Pigra per hunc fugies ingrata flumina letes,

Et meliore tui parte superstes eris.

Marmora Messala findit caprificus, & audax

Dimidios Crispi mulio ridet equos.

At chartis nec fata nocent, nec secula præsumt:

Solaque non norunt hæc monumenta mori.

Ex Nasone, Horatio, Lucano, Tibullo, Tullio, & Anthologiæ fertis, id
ibi egregiè illustrat, præstans in paucis interpret Mattheus Raderus.

546.

Christiani, eam scriptionis bonæ perennitatem æquè agnoscunt. Autor
libri *de operibus Christi cardinalibus, in præfatione*, per scripta, viuacem auto-
torum famam, & gloriam indelebilem perseverare docet; & secula transcen-
dere. Possidius in calce vitæ Sancti Augustini, eius perpetuam fore memo-
riam ob libros conscriptos, haud falsus vates confirmavit, adducto etiam hoc
secularis Poëtæ de se loquentis epitaphio, quod tumulo suo adscribi
voluit.

Vivere post obitum vatem, vis nosse, viator?

Quod legis, ecce loquor, vox tua nempe mea est.

547.

Petrus Blefensis epist. 77. [Nostra etiam scripta, quæ se diffundunt & pu-
blicant circumquaque, nec inundatio, nec incendium, nec ruina, nec mul-
tiplex seculorum excursus poterit abolere. Sola scripta sunt, quæ mortales
quadam famæ immortalitate perpetuant, & actibus veterum, quos tradunt
ad posteros, nullam permittunt obrepere vetustatem.

Ore legat populi, perque omnia secula fama.

Si quid habent veri vatum præfagia viuam;

dicit Ovidius. Cum Antonius linguam Ciceronis abscinderet, quia in ipsum
dictauerat inuectivas, dicitur ei Cicero respondisse:

Nil

Nil agis Antoni, scripta diserta manent.

Quis hodie Lucilium cognouisset, nisi cum Seneca suis epistolis illustrasset. Plus Cæsaris laudibus addiderunt scripta Virgilij, & Lucani, quam omnes diuitiæ, quas de diuersis mundi Prouinciis adunauit. Prudentia Ithaci, & Pelidæ virtus, sub tenebris ignorantiae vsque hodie latuissent, nisi eas diuina Homeri mens, carmine publicasset. Ideò Principibus terræ, & his qui res arduas mundi gerunt, nihil ad laudis acquisitionem posset commodius inueniri, quam eos familiares, & amicos habere, qui scribendo scirent, & possent res gestas ad posteros deriuare.]

Eadem confixio aliter Autori iniuriosa, imò Orbi vniuerso, ob restinctum inde scribendi studium.

Haecenus de prima, & parentissima iniuria aduersus scriptorem in libro suo iniuste confixum. Et potest quoque alterius generis vera iniuria contra Autorem admitti, si ob confixionem lucro sperato excidat, aut imminutionem subeat fortunarum, non refulsis expensis, quas ab eo circa librum confixum factas fuisse contigerit. Ea verò iniuria, frequentius, (apud nos quidem,) Bibliopolis inuritur, cum ob confixionem librorum magnis sumptibus editorum, diuenditione prohibentur. In quemcunque verò cadat, iniuria est vt plurimum grauis.

548.

Sed latius peruagatur iniuria per malignam confixionem, nec in vnus modò, vel alterius, sed in vniuersi planè orbis incommodum vertitur. Quam enim hominum vniuersitati conducatur, libros conscribi, me tacente, res ipsa loquitur. Et intelligi potest ex illis, quæ Gerfo latè disputat integro libro de laude scriptorum, hoc est, *ex scriptorum*, siue amanuensium, qui alienos libros describentes, perpetuam faciunt disciplinarum transmissionem; quod nondum tunc inuecto, aut vulgato calcographiæ vlu, eximiis laudibus celebrat Gerfo, negans esse seruile opus, in festis veritum. Dignum fuisse visum Constantino Magno in illius curam laboris inuigilare, refert Eusebius *lib. 4. de vita Constantini cap. 36.* Quin etiam insigni miraculo comprobatur, quantoperè Deus eum laborem circa bonos libros impensum, habeat acceptum, iam olim in Riccardo Anglo Præmonstratensi, confirmatum prodit Cæsarius *lib. 12. cap. 42.*

Cassiodorus verò in Scriptorum laudes adeò concitatur, vt videri possit nimius. Placet locum eius adscribere *ex lib. din. lect. cap. 30.* quia multo magis facit pro scriptoribus. [Ego fateor, (inquit,) votum meum. Inter vos quæcumque possunt corporeo labore compleri, antiquariorum mihi studia, si tamen veraciter scribant, non immeritò forsitan plus placere; quod & mentem suam relegendo, Scripturas diuinas salutariter instituunt, & Domini præcepta scribendo, longè latèque disseminant. Felix intentio, laudanda sedulitas, manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitam dare, & contra Diaboli surreptiones illicitas, calamo, atramentoque pugnare; tot enim vulnera Satanas accipit, quot antiquarius, Domini verba describit; vno itaque loco situs, operis sui disseminatione, per diuersas Prouincias vadit. In locis sanctis legitur labor ipsius. Audiunt populi vnde

549.

Q 9 3 16

se à praua voluntate conuertant, & Domino pura mente deseruiant. Operatur absens de opere suo. Neque dicere vicissitudinem illam de Doctorum bonis nos posse percipere; si tamen non cupiditatis ambitu, sed recto iudicio talia noscatur efficere. Verba cælestia multiplicat homo, & quadam significatione comprobabili, si fas est dicere, tribus digitis scribitur, quod virtus sanctæ Trinitatis effatur. O spectaculum benè considerantibus gloriosum, arundine corrente verba cælestia describuntur, vt vnde Diabolus caput Domini in passione fecit percuti, inde eius calliditas possit extingui. Accedit etiam laudibus eorum, quod factum Domini aliquo modo videntur imitari, qui legem suam, (licet figuratim sit dictum,) omnipotentis digiti operatione conscripsit.] Rabanus *car. 28.* Scriptores collaudat, & præfert pictoribus. Exornauit etiam eisdem cumulatè Brouerius *lib. 1. antiq. Fuldens.* necnon Trithemius *libro integro*, qui inter opera eius spiritualia legitur.

550. Hæc sunt librariorum, siue exscriptorum encomia: Et tamen sæpè malè describunt, omniàque erratis faciunt. Sanctus Anastasius Sinaita in proœmio *ad 178.* queritur, exscriptores totum suum implese blasphemis. S. Hieron. *epist. 28.* de eorum erroribus pinguis exostulat, & epistola ad Domnionem idem queritur. Et Chronico Eusebij à se translatò adiurationem præfixit, qua scriptores vrgeret ad exscribendum fideliter, imitatus S. Irenæum, qui per Christi nomen, & tremendum iudicium, adiurat exscriptores in calce operis de Ogdoade, quem librum Eusebius suæ historiæ inseruit, & habetur inter noua fragmenta. S. Gaudentius in *Operis præfatione ad Beniolum*, de suis tractatibus corruptissimè exscriptis conqueritur. Latè item Petrarcha *lib. 1. de remedijs cap. 43.* de librariorum flagitijs, & oscitantia in libris exscribendis exostulat; idèmq; facit Hostiensis in *summa proœmio*. Ex Ethnicis damnant negligentia librariorum, Symmachus *lib. 1. epist. 24. & 18.* ac Dio *orat. 42. in fine*, ac Palladius Rutilius in *præfatione libri de insuione*. Ipse Cicero Attico fateatur, nescisse se quo se verteret præ tanta librariorum in libris exscribendis mendositate. Si ergo librarij, & exscriptores, tametsi tam multa peccantes, omni laude digni sunt visi, & tantam utilitatem generi humano creare sunt existimati sapientum iudicio; quanto maior utilitas ab iis deriuari censenda est, qui libros ipsimet conficiunt, & suo labore, ac vigilijs, alienorum ingeniorum culturam promouent?

551. At huic cupiditati alios librorum conscriptione iuandi, frigida affunditur bonis ingenijs, cum patere se, tam præposteris iudicijs, vel etiam inuidia, & calumnia vident. Itaque satius ducunt sibi viuere, & pingui otio frui, quàm per alienam animi impotentiam, iugibus molestijs compleri, & nouam subinde famæ cladem subire; quod extremæ insanix, damnat Sanctus Hieronymus in *præfatione ad Domnionem*. Vnàque præfocatur, legendi, ac studendi voluntas. Nam Sancti Damasi iudicio, lectionem sine stylo, somnum esse, S. Hieronymus ad eundem Pontificem scribens, est Autor. Hoc quamuis semper valuerit, ac nunc quàm maximè. Nam, vt monuit Luysius Legionensis *præfatione sua in Cantica*, tam multi nunc excubant in carpenda, quæ benè ab alijs scripta fuerint, vt scriptio nec alijs sit admodum utilis, nec Scriptoribus vacua periculo euadat. Quod si priuatorum morsus, eaque præposterà de alienis scriptoribus iudicia, liberorum ingeniorum, nulla ad id ful-

torum

torum legitima potestate, plerisque scriptoribus oblocutionum fastidia veritis, idoneam feriandi causam præstare sunt visa, ut Viues notavit *lib. 5. de tradendis disciplinis*; multò magis idem poterit esse eorum sensus, qui confixos se aliquando ab iis viderint, quorum censendi acritudinem armet potestas; præsertim non arrogata, quæ faciliùs flocci fit, sed legitima, exerta illegitimè: id est, contra ius, fasque, & cum nulla suppeteret idonea configendi occasio. Et is quidem, qui sine potestate librum damnat, aut lacerat, iniustè agit; qui verò iudicis partes obiens idem præstat, multo iniustiùs se gerit, iuxta præclaram Isidori Pelusiotæ doctrinam *lib. 4. epist. 83.*

*Suffixiones Catholicorum per Catholicos,
scandalo hereticis.*

Non est præterea dissimulandum, damnum, quod ex huiusmodi iniustis & malignisque confixionibus iudicialis oritur, spectatis iis, qui à fide alieni extra Ecclesiæ caulis oberrant. Quod est in hanc rem, validum sanè Pamphili, vel potiùs Eusebij, argumentum, in Apologia. Dissimulo gaudium, quod eis ex nostris contentionibus, ac rixis aduenit; itaut in nos ipsi retorqueant, hac ex causa, quod SS. plerisque PP. hæreticis obieciisse nouimus, Cyprianum, Epiphanium, (optimè *heresi 30.* exemplo Aspilogorgonis.) Augustinum 18. *ciuit. cap. 51.* Irenæum *lib. 1. cap. 5. & lib. 4. cap. 69.* Vigilium *lib. 2. & 4.* contra Eutychem, & alios: perpetuas, inquam, & inconciliabiles inter eos animorum abiunctiones & dissidia, dum alij in alios grassantur, ac fruiunt. Non inaudita, aut hîc insolita referre in hoc genere possem quamplurima, nisi reficere huiusmodi sordes, & iniucundam, & ab hoc loco alienum ducerem. Gebennæ in Spelæo iniquitatis, & meretricis Calvinianæ lupanari, vix vlla in Catholicos à Catholicis censura stringitur Romæ, Parisiis, & apud extremos Hispanos, quin mox ab eis recusa in hunc finem, vbique spargatur, ut animorum consensionem, (sicut ipsi malignè interpretantur,) inter Catholicos nullam esse, palàm faciant: impleturque verbum Hieronymi ad Augustinum, [Amuli, & maximè hæretici, si diuersas inter nos sententias viderint, de animi calumniabuntur rancore descendere.] Nec minùs miserandum est, quod eo nomine apud suos, (præsertim scripturientes,) id assequuntur, ut persuadeant in Ecclesia Catholica plusquam carnificinam, & lanienam bonis ingeniis admoueri; dum vix quicquam scribunt, quantumuis mollitu, & interpretatu non difficile, quod vngues, vel dentes effugiat eorum, quos potestatem legitimè sanctæque collatam, vel imprudenter, vel pro affectu administrate, criminantur. Quod summum est hac in parte damnum, eleuetur ex ratione fama optimorum auctorum, omninò benè de Ecclesia meritorum, ac corporum, quibus eorum plerique sunt conferti; & inefficaces redduntur labores vtrorumque, in hæreticorum conuersionem, dum eis ab iniquitatis Magistris opponitur, quo loco sit apud ipsos Catholicos censores, & Magistratus, doctrina quam tradunt, & libri, quos conscribunt; ut dicant, & ipsi, *Inimici nostri, sunt indices.* Extat Geneuæ recusus, Index expurgatorius Hispanicus: ibi digitalibus literis exhibent damnationem operis Hieronymi Plati, eo quòd

532.

quòd ad marginem libri iubeatur apponendum *caute lege*; & locus est, quo de periculis Cleri secularis disputat præ S. Bernardo, & Petro Blesensi, admodum ieiunè.

Gravitas culpe mali censoris, eruitur.

- § 53. Hæc quisquis vel tenuiter pensauerit, non dubium, quin mortalis culpæ damnaturus sit, censorem qui vel ut iniuriam ab Authore quopiam cœtæ cui is conferitur, irrogatam vlciscatur, vel ut tempori seruiat, aut ut alceri eam abs se gratiam exposcenti vlciscatur, librum innoxium, quæ sitis prætextibus iniuriâ confixerit. Materia enim grauis est, & damnum, quod infertur auctori, est longè maximum. Alia item pleraque capita proximè tacta, culpam illam inter minutas referri non sinunt. Damnantur ergo, qui damnant, nisi eam noxam per pœnitentiam eluant; agnosciturque verissimum, quod dixit Adrianus I. *Canon. 66. ex. 72.* pro Ingelramno collectis. [Maius periculum est iudicantis, quàm eius, qui iudicatur. Vnde vnicuique prouidendum est, ne aliquem iniuste iudicet, aut puniat.]

Quid peculiariter Pontificiis Censoribus timendum.

- § 54. In Romanis confixionibus per Pontificios ministros latis, ea specialis macula cernitur, si indebitè fiant, quod iniusta confixio in Sedis Apostolicæ iniuriam, & vilipensionem aliquam apud improvidos redundat. Omnia enim, quæ à delectis Pontificia autoritate censoribus perpetrantur, eadem autoritate quasi perspersa transmittuntur per orbem, vbi nunc mortales (heu!) decussa veteri simplicitate, & succiso obedientiæ vigore, homines plus iusto plerumque oculari, de censuris alienis censuram facillè ferunt, & iudicia etiam cum sunt iusta, ita librant, ut in partem sinistram facillè detorqueant, quæ iure ac meritò fuerint constituta. Inde ergo efficitur, ut multo magis nihili fiat confixio, cum iniusta fuerit; (quod ob eruditionem, quæ alibi potest esse, non minor, latere nequit;) isque malè latæ suffixionis despectus, in contemptiōnem Pontificiæ autoritatis, qua huiusmodi censores constituti sunt malè vertitur, sed tamen vertitur. Experti sanè sumus non semel, confixiones Romanas neglectui à plerisque Transalpinis haberi, illiusque neglectus partem aliquam (quod dolendum, imò & auerſandum est,) refundi in autoritatem, cuius portio est, censoria, quam administrari exerunt. Hoc si in censuris ritè ac iure latis, quales omnes Romanas haberi par est, non semel deprehendimus; quanto faciliùs consequeretur, si vitio ministrorum, qui creditam sibi potestatem in maleuolentiæ suæ arma verterent, liber innoxius, iniusta confixione percelleretur, ita ut autor verè, ac iure posset illud Erasmi sub initium Apologiæ contra Stunicam vsurpare? [Aliqui per fumos autoritatis Pontificiæ, sibi tyrannidem vsurpant in omnes; nihilque eis non licet impunè.] Quanto iure hoc Erasmus dixerit, meum non est inquirere, & volo hoc eum immeritò dixisse. Dixit tamen, nec dubium quàm exulcerata pectora in easdem voces, possint erumpere, nec absque oblæsione famæ quam integram seruari interfuerat, talia damnatoribus suis ingerere. Videtis insuper Cauellum *in vita Scoti c. 5.* vbi de arrogata in quosdam Autores tyrannide, intrepidè expostulat.

Quare

Quare meritò Gerſo tom. 1. tract. de examinat. doctrin. p. 2. consideratione 5. poſcebat, vt curia Summi Pontificis haberet Doctores Theologos, ac cenſores, (de his namque agebat,) [*Non partiales, non ſeductos, non faſtuos, non quætuos, aut inuidos, non poteſtati ſeculari, non ſpiritali plus quam veritati fauentes; alioqui tolerabilius eſſet nullos habere, quam tales pati.*] Addere æquè poterat, quos ex illa ſublīmi, & præcellā veritatis ſpecula deligi ad cenſendum de aliis contrigerit, non præcipites, non procliues ad ſuffigendum, ſed veluti per vim ad id adigi, oportere. Qua in parte habent Romani cenſores, quam imitentur, Apoſtolicam Sedem. Eam enim in notandis, & hæreſeos errorisve inſimulandis quibuſvis, maturitate ac tarditate ſumma ſemper proceſſiſſe, demonſtrat Heſſelius lib. de perpetua Cathedra Petri firmitate c. 8. 100.

555.

EROTEMA V.

*Ad quid teneatur qui alienum librum
malè confixit.*

Sepoſitum cenſorem qui citra culpam omnem, opus alienum damnaret, ſadmiſſa tantum iniuria materiali. Id enim vel nunquam contingit, vel admodum infrequens eſt, ob cenſorum idoneorum peritiam, quæ ignorantiam depellendo, obſtruit viam illam auertendi culpam. Quòd ſi aliquando ita accidere ſupponamus, vt cenſura nonniſi materialiter iniuſta feratur; eadem ferè iniicitur obligatio cenſori, ex quo ſoluta ignorantia, errorem ſuum, quo priùs inculpabiliter laborabat, deprehendent; quæ cenſori formaliter iniuſto iniicitur; quia quamuis mitiùs cum eo ſit agendum ob culpæ formalis defectum, tamen tenetur ipſe quoque, & quidem iuſtitia titulo, (vt fert probabilior ſententia,) ad præſtandos indemnes quos læſit, vt ex dicendis intelligetur.

556.

Mala cenſura; inprimis reuocanda.

Sepoſito itaque huiuſmodi cenſore, agamus de eo, qui malè, & cum culpa damnarit. De hoc non eſt dubium, quin ad retractationem, & famæ, & honoris, damnorumque omnium ex iniuſta confixione conſecutorum reſtitutionem teneatur; & quidem quamprimùm, cum iniuria irrogata non patiat rem differri. Prorogatur enim, & continuatione fit maior, vt in ſimili dicitur circa furtum, & detractionem. Cumprimùm ergo ſuppetit facultas, adhibenda eſt inprimis reuocatio. Diſertiffimè cap. qualiter & quando, de accuſat. Innoc. III. duobus Inquiſitoribus in hæc verba præcipit. [*Ne inde naſcantur iniuriæ, unde iura naſcuntur; mandamus quatenus ad conſcientiæ veſtræ iudicium recurrentes, ſi contra præſcriptum ordinem tanquam homines exceſſiſtis; non pudeat vos errorem veſtrum corrigere, qui poſiti eſtis, vt aliorum corrigatis errores; quoniam apud iudicem diſtinctum, in qua menſura menſi fueritis, remittetur vobis.*]

557.

R. r

Morem

Morem hunc esse Apostolicum habetur *cap. veniam 35. q. 9.* ubi etiam additur: sicut sententia Romanæ Sedis in melius commutari valet, (cùm scilicet deprehenditur illapsus error facti;) sic cuiuslibet Ecclesiæ sententia, cùm per surreptionem data cognoscitur, rationabiliter reuocari potest. Addit ibidem Innocentius *epistola ad Episcopos Macedonia*, graue videri non debere, si cuiuscumque iudicium retractetur, & cùm agnoscitur per errorem lata sententia, (aut quod detestabilius esset, si per malitiam fuisset in eam peccatum,) reuocetur prior damnatio. Seuerè itaque Iuo *epistola 95.* alloquens Paschalem Papam, hortatur illum, vt ipsammet sententiam malè latam à nemine foris retractandam, immutet. Tunc enim, (inquit,) indecens est, sicut Apostolicis docemur exemplis, & scriptis, si aliquando sententiam mutet ipse Apostolicus in melius, cùm aliquid subreptum fuerit. Hoc in primis faciendum esse dicebam à quibusuis censoribus, ne iniuria semel illata, perpetuetur. Plenius id verso in opere *de honore Iudicis.*

*Sarcienda ex obligatione, damna fortunarum, & iusti
lucri præditio.*

558.

Tam quod attinet ad restitutionem damnorum illi iniuriæ adiunctorum, eius obligatio rata, & clara est, ex generalibus principiis de restitutionis necessitate, ei iniecta, qui damni alieni, volens & iniusta causa fuerit.

Sed cùm duplicis generis damna, per iniustam libri suffixionem irrogari possint, nempe alia contra famam & honorem Autoris, alia contra fortunas, & iustum lucrum, quod ex libri libera euulgatione sperari poterat, siue Autori, siue Bibliopolæ; de hac quidem posteriore iniuria, non est admodum operosa resolutio. Perspicuum enim est, eam esse integrè sarciendam ab iniusto irrogatore. Nimirum interdum autores, expensas non leues in opere conficiendo, aut exornando posuerunt, quas sibi operis publicatione, & libera diuenditione refundendas sperabant; qua spe ob inhibitam libri venditionem, miserè cadunt. Quicquid verò sit de autoribus, quos sordes in fœtuum suorum vèditione confectari, & rem suprâ omne pretium, eruditionem inquam, atque doctrinam, lucello cuiuspiam captando venalem exponere, & pretio subiicere, probrosum est; certè Bibliopolæ non possunt expensas in libri editione non facere. Et porrò expensæ, & iustum lucrum quod insuper obuenturum erat, pereunt Bibliopolæ, si libro iam edito inhibeat venditio eius, atque distractio, ob interpositam confixionem; ita vt liber qui cardè vendendus erat, vel flammis voracibus absumatur, vel in scombrorum tunicas abeat, piperisque cucullos. Igitur cùm malignus censor sit horum damnorum causa, manifestissimum est, contrahi ab eo obligationem omnia illa dispendia reparandi; & indemnes præstandi quos maligna libri confixione violauerit.

Quid de obligatione sarciendi Autoris famam.

559.

Maior difficultas est, de iniuria quo ad honorem, & famam; quæ duo, hîc secernere non sum sollicitus, cùm sit amborum, quo ad rem præsentem, par planè ratio: quamuis non sit dubium, quia rem exactè agitando, sint secernenda. Quod difficultatem circa eos facit in hoc negotio, est præfertim modus quo sarciri

sarciri debet iniuria. Nam quòd sarciri debeat, non potest esse dubitatio; quandoquidem est vera iniuria, veràmque infert cum alieno iure inæqualitatem, quam debita restitutione tolli, ac reparari, est necesse. Expendendum porrò est, eam restitutionem admetiendam esse ad interclusam honoris & famæ prorogationem, autori ex libro obuenturam per multa sæcula, vt suprà considerauimus. Hoc enim autoris bonum, præcludit iniuste, qui librum malignè configit, proindèque non tantùm est ei cogitandum de restitutione famæ aliunde iam comparatæ, per dedecus illatum sauciata, & honoris perperam fœdati; sed etiam de restitutione famæ obuenturæ, & honoris in germine suo succisi, spectata probabilitate boni consecuturi, nisi iniustus obex fuisset appositus. Item, quia plerumque, autor cœtui alicui conferitur, v.g. quia est Religiosus; & dedecus ex nota membris huiusmodi corporum iniusta, per iudiciorum humanorum deprauationem, in ipsa corpora transfertur; necessarium quoque est, vt malignus censor, de ea illuue abstergenda cogitationem suscipiat. Nihil in hac vniuersa, quam deposcimus, honoris, & famæ restitutione ambiguum puto, cum ius cui incommodatum iniuste fuit, sit verum ius: ac proinde ad inæqualitatem cum eo reducenda sint omnia, vt iustitiæ legibus fiat satis.

*Malè tutum profugium ad non satisfaciendum, ex
sublimitate censorum.*

Tantùm posset euentus assignari, in quo censor iniquus putaret se restituendæ alienæ famæ, per malignam confixionem violatæ, onere liberatum; est enim grauium scriptorum sententiæ, Toleti lib. 5. *Instit. c. 70.* Couarruuiæ ad leg. peccatum p. 1. n. 8. §. tertio adultera. Soti lib. 4. de iustitia q. 6. art. 3. ad 4. Cerdubæ lib. 1. q. 33. art. 2. Lessij lib. de iustitia c. 12. n. 138. aliorumque plurimorum; si restitutio famæ bonæ alteri malè ereptæ, non possit fieri absque damno famæ longè potioris, ac pretiosioris, posse restitutionem absque scelere omitti. Vt si vir illustris, ex infima plebe aliquem, cuius fama tantum non sit, resperferit infamia, nullo iure plebeius ad dispendium famæ suæ tollendum vegere potest virum illustrem. Ea igitur esse poterit abiectio autoris, dispendium famæ per confixionem passi; & è contrario sublimitas censoris tanta, vt exsoluendus prorsus videri queat, obligatione restituendæ alienæ famæ, ne suam deterat, & exterminet, sarciendo alienam. Nec fortassis deerit, qui munus censuræ adedò sublime esse pronunciet, vt quando permagni interest, illum cui concreditur, esse in æstimatione apud omnes, vt cum autoritate, ac fructu munus adedò necessarium jobire valeat, non sit ab eo reposcenda restitutio alienæ famæ, cum damno propriæ: non modò si minutus, & obscurus sit autor, & liber famæ pertenuis ferax; sed etiam cum autor non est proletarius duntaxat, & ex libro confixo accessionem nomini suo non exiguam sperare meritò poterat.

Nolo circa euentum Metaphysicum tricari, vel probabilitatem sententiæ ex grauibus Doctoribus adductæ, labefactare, aut vocare in dubium: sed illis in præsentia dimissis, nego ordinarias confixionum malignitates, posse ad eum modum, censoribus abire liberis onere reducendi omnia ad æqualitatem, & restituendi famam; non modò in alio genere, puta pecuniaria compensatione,

Rr 2 vel

560.

561.

vel in eodem genere, sed indirectè; nimirum laudando, & celebrando, quem iniusta suffixione infamârunt, (quibus modis autores prædicti grauentur in proposito euentu iniquum censorem; sed etiam in eodem genere, ac directè. Quæ enim tanta esse potest necessitas improbi censoris in concedito munere retinendi, vt Autori libri iniquè confixi, dispendium famæ sit idcirco subeundum? Quin potius deiciatur de gradu minister nequam; ne armatus facultate qua malignè abutitur, in perniciem innoxiorum pergat securè, contra ius, falsque, & manus sanctum dehonestare, ac nouis se in dies criminum iaculis trāsfordere.

Etiã sublimissimi in Ecclesia apices, lesos leuare Autores refixa iniusta censura, iustum duxerunt.

562. Exempla habemus sublimissimorum supra omnem comparationem censorum, quibus cum censura non bona absque culpa excidisset, graue non est visum, indemnitati famæ alienæ consulere mutato iudicio. Sic enim Benedictus II. vt est apud Rodericum Toletanum *lib. 3. c. 13. hist. Hispan.* [Cum librum Iuliani Toletani, (appendo Roderici verba,) minùs cautè tractando, indixisset reprobandum, audito postmodum Iuliani Apologetico, non se obfirmavit in sententia, sed librum ante confixum, dignè ac piè recipiens, cunctis legendum indixit, atque acclamando, *Laus tua Deus in fines terræ*, lectum sæpiùs notum fecit, & rescriptum Domino Iuliano per Legatos eius, cum gratiarum actione, & cum honore remisit; & omnia quæcumque scripsit, iusta & pia esse, deprompsit.] Ita locum Roderici legit Garfias Loaysa *in notis ad XV. Conc. Toletanum*; quamuis verba Roderici in exemplaribus vulgatis, non ferant Benedictum Romanum Pontificem, sed Roman recepisse Iuliani Apologeticum, & approbasse: quam varietatem quoad alia, in eo Roderici capite, ex MMSS. notauit Ambrosius Morales *lib. 12. hist. Hispan. c. 58.* irrepere quoque quoad Benedicti nomen potuisse, est verisimile; ipsùmque Benedictum approbasse Iuliani apologeticum, affirmat idem Morales, ac Valquez *3. p. d. 37. c. 3. in fine.* Quod verò Baronius calumniæ dicam Roderico impingit anno 684. approbante Seuerino Brinio *in notis ad Benedict. IX. Concil. Tolet. XIV.* præfixam; cum Benedictus, (vt aiunt isti,) non improbasset, sed tantùm explicari petiisset sub obscuras propositiones Iuliani, pace virorum grauissimorum, calumnia est in Rodericum. Nam Concil. Toletanum XV. in eo Apologetico pleniore, qui missus secundò est Romam sub Sergio Papa, disertè habet, [Capitula Iuliani incautè posita, visa fuisse Benedicto; eumque incuriosa lectionis transcurfione prætereuntem, existimasse, longè aliud voluisse Iulianum, quum reuera voluisset.] Rursùsque inferiùs idem Benedictus incuriosa lectionis arguitur: & non explicationem poposcisse, sed librum erroris reprehendisse, satis apertè traditur. Itaque saluum manet quod dixerat Rodericus, Pontificem Benedictum, mutato iudicio, famæ Iuliani, quam improbo eius libro sauciauerat, prospexisse.

563. Quod humilitatis Christianæ, Pontifices quoque ipsos non dedecentis exemplum, æmulatus proximè est superioribus annis cæterus grauissimus, refixo post discussam vberius causam, decreto aduersùs Opus *de præceptis Ecclesiæ*, noti cuiusdam scriptoris. Cedo censorem, Romano Pontifice sublimiorem. Cedo, cuius famam plus interfit esse illibaram, & à specie, vel suspitione leuitatis immunem,

eo cœtu quem designavi. Non tamen, (vt salua esset autorum immeritò per obreptionem confixorum fama,) indignum suo gradu, aut nomine censuerunt, latum sine culpa falsum iudicium reuocare. Nimirum, quia sapientis est, vel in rebus alios non attingentibus merèque speculatiuis, mutare mentem, comperta veritate: & vt iam olim est ab Augustino *lib. 3. contra Crescon. cap. 3.* pronunciatum, [sententiam falsam nunquam tenere prima laus est, secunda mutare.] Lege sis eundem Augustinum *epist. 7.* & Cassianum *de Incarn. cap. 4.* Quanto ergo magis idem præstandum sit, cum id iustitia quoque vrget, & malè, ac cum culpa conscissum proximi nomen, exposcit? Ita verò contingit in euentu quem proposuimus.] Nunquam piguit in melius retorsisse iudicium,] ait Zozimus *epist. 3.* confirmatque exemplo Iudæorum admonitorum à Daniele, qui iudicium improuidum retractarunt.

Effugij propositi præclusio firmatur.

Quare non est quod qui in alium malè configendo iniurius fuit, tergiueretur, & suam ad restituendum obligationem eludi, vel elidi posse censeat, eo quem referebam prætextu: idque excusare, est sibi placere in iniustitia. Quod malum longè grauissimum, ita in quibusdam deplorat S. Cyprianus *epist. 55.* in hos quoque meritò intorquendus. [Primus felicitatis gradus est, non delinquere; secundus delicta cognoscere; illic currit innocentia integra, & illibata quæ seruet; hinc succedit medela quæ sanet: quod vtrumque isti, offenso Deo perdidit.] Dicat potius censor improuidus cum S. Augustino *in prologo retract.* [quilibet eorum, nec quisquam, nisi imprudens, idè quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit, sed si dicit non ea debuissè à me dici, quæ postea mihi etiam displicerent, verum dicit, & mecum facit, eorum quippè reprehensor est, quorum & ego. Neque enim ea reprehendere deberem, si dicere debuissè; sed qui primas non potuit habere sapientiæ, secundas habeat partes modestiæ: vt qui non valuit omnia impænitenda dicere, saltem pœniteat quæ cognouerit dicenda non fuisse.] Integra lucubratione cui titulus, *de honore iudicis, num dum à retractandi obligatione eximat, vitio anterioris sententiæ deprehensio,* discussa est hæc in peccatis excusatio.

564.


Quid iniquo censori sarcendum, aut reparandum.

His ita constitutis, reliqua est ea quam dicebam difficultas circa modum restituendi famam, mala iniustaque confixione violatam, & abolendi dedecus quod ea inhonoratio irrogauit. Neque enim sufficere potest concessio vt liber sit publici iuris, & impunè teratur. Hoc quippè iam ab initio debitum fuit, quamuis nulla irrogata esset iniuria. Nunc igitur post eam illatam, & subsequutum damnum, simulque perseverante antiquo illo iure quod interposita iniuria violauit, non sustulit; non modò concessio iuri antiquo respondens tribuenda est, sed etiam pro reparanda in æqualitate inducta, per restitutionem commensam damno, & pro abolenda iniuria per condignam satisfactionem, est satagendum: quæ præstari non oportuisset, si iniusta confixio non interuenisset. Sanè qui mercatorem ingenti lucro prohibuisset iniuste, inter-

565.

Rr 3 cluso

cluso ei ad nundinas itinere per aliquot dies, non exequeretur quod iure tenetur, si tantum dimitteret mercatorem liberum, eique permetteret aditum ad nundinas, per reliquum tempus quo durabunt. Alstringitur enim insuper satisfacere pro iniuria irrogata per iniustam impeditioem iniectam; itémque damna consecuta sarcire. Non aliter ergo statuendum est in re nostra. Et damnorum quidem realium reparatio, quomodo facienda sit, non est perceptu difficile; est tamen executu difficillimum, cum aded eard stet librorum editio, & lucrum inde speratum non soleat esse exiguum. Famæ verò, & honoris reparationem adæquatam iniuriæ, constat præstari non posse, nisi sincera nequitia in autorem innoxium admittæ detestatio, quantum erit in reo, tantundem peruagetur, quantum disseminata fuerit confixio; vnâque probrum, & inhonoratio autoris. Quam mentem, vt suscipiat homo malignus, qui alienæ famæ dilapidationem, nihil antea fecerit, & honorem proximi aded indignè protriuerit, difficillimum arbitror; & absque peculiari, & supra communem modum exaggerato diuini roris affluxu, ferè impossibile.



OPERIS CLAVSVLA.

Sicera merentibus, & vinum iis qui amaro sunt corde.

S I V E,

Autor cuius liber confixus fuerit, quibus verbis ac vocibus, hunc lenire dolorem possit.

566.

Distinctio hîc adhibenda est. Vel enim iusta fuit confixio, vel iniusta. Quamuis autem vtrobet modo sit facta libri confixio, & Autoris dehonestatio, iustum, ac congruum sit, eum dolorem lenire; tamen pro eo duplici confixionis modo, varium leuamen est adhibendum,

Libro iustè damnato, vnde captanda autori patientia.

Si liber perspicuè noxius erat, & iure ac legitime facta est confixio, ab iis qui poterant, & debebant, nec censores ius sibi quo non pollebant, arrogarunt; non est quodd autor nisi de leuitate sua, & præcipiti editione operis, vel non satis pressi ac discussi, vel omnino premendi, & nunquam publicandi, queratur; præsertim si quod non raro contingit, censores ante editionem quaesisset, qui palparent, non rescinderent vulnera, & strumosa operis. Rari enim sunt, qui cum Blesensi dicant *epist.* 77. [Libri mei prima pars, à Magistro Guilielmo fratre meo correctæ est; quia timeo, ne sit indulgentior mihi, si quid in eo vitiosum inuenit, precor, vt ab initio totum diligentiore cura recurratis; quatenus nihil ibi resideat, quod lectorem offendat, quod inducat errorem, quod virtutem non exerceat, quod non ædificet fidem, quod vitam non instruat, quod non sapiat honestatem.] Aufonius egregiè